





PAULI APOSTOLI
PEREGRINATIO
Cæsareâ Romam, duabus distin-
cta partibus;
QUARUM
Prior
Complectitur in XXVII;
Posterior
In XXVIII. Cap. Actuum Apostolorum
H Y P O T Y P O S I N
Concionum Practicarum;
Ubi præter Analysin singulorum versuum & brevem Exe-
sin, Doctrinæ cum suis Rationibus & Usibus ex ipso Con-
textu erutæ tractantur, Methodo dilucida & ad docen-
dum accommodatissima.

Studio & operâ
GEORGII LÆTI, Moravi.



V A R A D I N I,

Impensis ABRAHAMI KERTESZ SZENCIENSIS.
Anno Salutis M. D. C. L.

190
1876



P R A E M O N I T I O

Auctoris ad Lectorem.

Paulus Apostolus, in priore Epistola ad Timotheum, Ministrum Verbi Dei vult esse aptum ad docendum. Hæc aptitudo in eo etiam sua est, ut possit non tantum falsam doctrinam refutare, sed etiam, & id quidem in primis, veram rectè docere. Ad veræ autem doctrinæ docendæ rectam rationem pertinere omnino videatur ordo & apta methodus, quam Apostolus idem indiget, dum in posteriore ad Timotheum talem requirit Ministrum, qui rectè sermonem veritatis fecerit. In hac commode docendi Verbum Dei methodo, quam multum possumus sit, viderunt probè hactenus quam plurimi. Inde enim tot variorum authorum prodierunt libri & consilia de formandis Concionibus: sed varia & diversa. Ut enim alios multos præteream, noti sunt, Hyperius, Sohnius, Bucanus, Scultetus, Perkins, Keckermannus, Polanus, Alstedius, Amesius, Barnard, Hunnius, Panigratius, Erasmus Roterdamus, Causinus, &c. Inde etiam evulgatæ tot variorum in diversis linguis conciones variis modis conscriptæ; prout huic illius potius quam aliorum placuerit sequi consiliū; isti alterius magis arrisit methodus: adeò usque quidem, ut ferè quot concionum auctores, tot etiam reperias diversos inter se earum methodos. Nam & nihil de veteribus dicam Patribus, videmus hodie aliorum doctas homilia, aliorum non inelegantes sermones: aliorum vero declamationes verius, quam Verbi Divini prædicaciones; in quibus majus ostentant artificium compositionis, quam ab auditore vel lectore percipitur & discatur spiritualis. Quod

A D L E C T O R E M

ferè tamen ii agunt, qui omnia ad Locos communes, nullo Tex-
tus Sacri scopo observato, referunt. Utique Scholis quam
Templis utiliores. Quemadmodum etiam illi, qui textu ex-
plicando totam insunt horam; applicatione vel prorsus
neglectâ, vel frigidiusculè & quasi aliud agendo tantum per-
strictâ: quum illa tamen anima sit concionis: & hoc intersit
inter Concionatorem atq; Doctorem Scholæ, quod ille non tan-
tum Contextum explicet, sed etiam ad Usum auditorum ap-
plicet: iste tantummodo explanet, & locos doctrinarum bre-
viter indigit. Qui verò & explicant & applicant, at sine
methodica dispositione sue Concionis, Contextus solummodo
Scriptoris Sacri vestigiis insistendo, non perdunt omnino ope-
ram; at utilius eam collocauerint certam sequuti dispositio-
nem & analysin; eam nempe, quam natura ipsa verborum
exposcit. Nam eorum planè præpostera est actio, qui Contex-
tum ad suam dispositionem accommodant, imò invitum tra-
bunt & summiā injuriā torquent. Quod sanè nobis non vide-
tur esse docere Verbum Dei, sed Dei verba ad suam mentem
nimium licentiosè trahere. Quibus accensemus concionato-
res Allegoricos. Licet enim & ingenii vim aliquam præ se
ferant, & forte non sine utilitate auditorum prorsus ulla lo-
quantur, tamen, quia ea omnia sunt præter, imò quandoque
contra mentem auctoris sacri, officii concionatoris boni primas
partes jure in eis desideramus. Quibus omnibus inter se colla-
cis & examinatis accuratis, rectissimā viâ illi procedere
existimantur à doctissimis quibusque hujus seculi viris, & ju-
dicio valentioribus, qui & nativam contextus Analyzin se-
quuntur, ac explicacionem retinent, & doctrinas inde erutas
ad varios auditorū usus accommodant: nisi quod omnia ultrà
quam auditor percipere potest, minutim discerpant: unde ita

fluis

P R A E M O N I T I O.

fluit incommodi, quod nimium sint prolixii, alicubi etiam diutius hærentes justo: perrecturi ulterius, longè utilius. Hac ergo solâ exceptâ nimiâ prolixitate, tutissimum fuerit eos imitari. Nullum enim dubium est, quin eorum uestigia premens, officium boni Concionatoris sit facturus, & futurus Minister ex Pauli sententia aptus ad docendum. In quo uoluimus etiam nos tibi benevole Lector aliquem typum & exemplar dare; in primis Clarissimi D. Amesii Theologi institutionem sequuti. Tu hæc, quæ nunc emittimus, benevole accipe, lege, & imitare: si ea tibi non ingrata fore intellexerimus, plura dabimus, sed pleniùs pereractata. Vale & fare.



Approbatio Theologicæ Facultatis.

Prestans pietate & doctrina Vir, D. Georgius
Latus Moravus, Generosorum & Magnifico-
rum Dominorum Ossauviorum Ephorus, ac mi-
nisterii Sacri candidatus, exhibuit Theologicæ fa-
cultatilendum & censemlibrum à se conscri-
ptum, atque in publicum evulgandum, hoc Titulo,
Pauli Apostoli Peregrinatio Cæsarea Romam, &c.
Continentem brevem discursum de concionibus
practicis rectè instituendis, earumque hypotyposin.
Quem perlegimus, & doctum utilemque publico
censemus. Ac proinde studiosis rerum sacrarum,
quiue concionibus ad populum Christianum ha-
bendis operam dant, maximoperè commendamus,
ob concinnam, & occurratam, usuique spirituali
accommodatam methodum, ad quam doctissimus
hic Vir specimine proposito, suoque exemplo præiit.
Ita judicamus in fratre scripti Theologiae Professores in
Academia Lugduno-Batava. Anno Domini
clo Ioc xxxxix. Pridie Kal. Aprilis.

JOHANNES POLYANDER.

ANTONIUS VALÆUS.

ANTONIUS THYSIUS.

JACOBUS TRIGLANDIUS.

HYPOTYPOSIS
CONCIONVM
Practicarum in Cap. 27. Actuum
Apostolicorum.

TEXTUS. V. I.

1. *Uit autem decretum fuit, ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt tum Paulum tum quosdam alios vincitos Centurioni, nomine Julio cohortie Augustae.*
2. *Conscenso igitur navigio Adramiteno, navigaturi secundum Asiae regiones, proiecti sumus, & nobiscum erat Aristarchus Macedo Thessalonicensis.*

EXEGESIS.

Batus Paulus Jesu Christi Apostolus, cuius ex Judaea in Italiam peregrinationem, cum bono Deo, practicè & breviter enarraturi sumus, in 2. Epist. ad Tim. 3. v. 16. 17. verè de Verbo Dei pronunciavit; *Tota, inquit, Scriptura divinitus est inspirata & utilis ad doctrinā, ad redargutionē, ad correctionem, ad disciplinam quæ est in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omnne bonum opus perfectè iustificatus.* Quibus verbis, quanta sit utilitas Scripturarum Canonicarum evidenter ostendit. Ea enim, & vera docet ac falsa refutat; & virtutes instillat ac vitia reprehendit; & denique in omnibus adversis solidè consolatur animos afflitos. Hoc verò

cum de aliis libris sacris intelligendum est, tum de actibus Apostolorum: qui (ut D. Hieronymi de hoc libro adferamus judicium) nudam quidem videntur sonare historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si non verimus scriptorem eorum esse Lucam medicum, cuius laus est in Euangelio, animadvertemus pariter, omnia verba illius animæ languentia esse medicinam. Ac proinde etiam de duobus postremis eorundem Actuum capitibus. Multa enim in illis præclara & observatu dignissima proponuntur. In memoriam etenim redigitur conditio fidelium in hoc Mundo, & in specie Pastorum Ecclesiæ; imago exhibetur Dei bonitatis, sapientiae, potentiae, veracitatis in promissis, amoris erga suos, &c. Exemplum constantiae, fidei, in adversis patientiae, & aliarum virtutum; ut in sequentibus vedeatur.

Legimus autem in hoc libro de quatuor Pauli Peregri nationibus. *Prima*, describitur capite 14. *Secunda*, capite 15. 16. 17. 18. *Tertia* capite 19. 20. 21. & seqq. *Quarta* capite 27. & 28. quam Romam versus suscepit & peregit partim aquis, partim terrâ.

Tota autem hæc historia quartæ Pauli peregrinationis rectè in quatuor partes dividi potest. Nam, 1. est de navigatione Autumnali periculosissima, cap. 27. toto. 2. De hybernatione in insula Melita. 3. De navigatione Vernali. 4. De Pauli Romam ingressu & ibi aliquamdiu commoratione.

Itaque in istis duobus versibus habemus illius Paulinæ Peregri nationis & Navigationis duas causas: Efficientem & Instrumentalem. Nempe,

C O N C I O N I S I.

- I. Cujus mandato Paulus Romam iverit?
- II. Quos & quales habuerit itineris comites?

D E P R I O R I . v e r s . I .

Ut autem decretum fuit ut nos navigaremus in Italiā.
 Ergo mandato Politici Magistratus. Primariò quidem
 Providentiā & Voluntate Dei, quam ei in visione de-
 claraverat, *Act. 23. 11.* Extra quam nihil evenire potest,
 sic jubente hoc factum est: Hic tamen Lucas decretum
 non tam curiæ Cœlestis, quam terrenæ intelligit; &
 id quidem Festi Præsidis Syriæ atque Agrippæ Regis.
 Paulus enim minister Dei, quum capiti suo à Judæis
 imminere videret periculum, Romam ad judicium
 Cæsaris appellavit: cui haud gravatim Festus & A-
 grippa subscripsit, *Act. 25. 12. & 26. 32.* Nec verò de-
 inde Paulus tergiversabatur, sed decreto huic paret lu-
 bens, ut superiorum. Ipse etiam Festus quanquam jus
 gladii à Romanis sibi datum haberet; quia tamen de
 vitâ hominis agebatur, (non de re aliquâ leviusculâ)
 cuius pretium dari nequit, in eam inclinat mentem,
 ut malit vitam Pauli prolongatam, quam ex inconsi-
 deratione aliqua ademptam. Itaque est quod in utro-
 que obseruemus.

Et quidem primū in PAULO.

D O C T R I N A .

Spirituales vel (ut vocant) Cletici Magistratui Po-
 litico subjecti esse debent. Ita *Paulus* primò ad Cæsa-
 rem appellat, deinde decretum Festi sequitur. Idem fe-
 cerunt:

Dominus Christus, solvendo staterem pro se & pro

Petro, *Matth.* 17. 26. 27. *Sacerdotes V. Testamenti*, qui subjecti fuere Regibus. Deinde, talis subjectio exhibita fuit Magistratui etiam ab apostolis, eorumque successoribus ac omnibus fidelibus. Imò ipsi *Romani Episcopis* inde ab initio Christianismi per multa secula Imperatorum se beneficiarios ac subditos omni obsequio & submissione fatebantur. *Chrysostomus* in 13. cap. ad *Rom.* scribit; *Sacerdotes, Monachos, ipsosque Apostolos, Evangelistas, Prophetas & omnes quicunque tandem fuerint Ecclesiarum ministros, secularibus potestatibus subjectos esse.* Athanas. *Apol. ad Imperatorem Constantium Arianum*: *Nequaquam (ait) restiti mandatis tuæ pietatis, minimè gentium, absit: Non enim ego is sum, qui vel questori restitero civitatis, nedum tanto Imperatori.*

Hæc autem subjectio intelligenda est in rebus externis & civilibus; non autem in iis, quæ ad ipsorum Ecclesiasticum officium pertinent. Nam quemadmodum in Republicâ Civili Spirituales tantum membra ejus sunt: *Magistratus vero caput, ita rebus Ecclesiasticis Politicos immiscere se, ut qui absolutè eas disponere velint, haud licet: quippè membra, quorum Caput cum sit solus Christus, solos etiam ministros Verbi eis in terrâ visibiliter præesse voluit.*

R A T I O. Subesse autem debent Magistratui Politico Spirituales ideo;

Quia hoc omnibus à Deo est mandatum tam Ecclesiasticis, quam Politicis, *Rom. 13. 1-7.* super quæ verba ita Bernhard, *Ep. 42. ad Henricum Archi-Episc. Senon.* Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Si enim, ergo & uestra. Quis vos excipit ab universitate?

Si quis tentat excipere, tentat decipere. Huc etiam pertinet mandatum Domini nostri, Matth. 22. 21. Divi Petri; & Ep. 2. 13 -- 17.

U S U S R E F U T A T O R I U S.

Contrarium est ergo Dei voluntati & praxi primitivæ Ecclesiæ, quod docetur in Ecclesiâ Romanâ; Cunctum totius orbis clerum imperio Magistratus Civilis esse exemptum. *lib. 2. De or. Gregor. Tit. 2. de foro competenti cap. 18.* Luce meridianâ clarius est, tales non Paulum, non Christum, non Patres sequi, sed Corc, Datanem, &c. qui Mosi Duci Populi Dei obedientiam recusârunt. *Non probi sunt tales Episcopi sed improbi, Teste Valentianino Imperatore apud Theodoreum lib. 4. cap. 7. Hist. Eccl.* Qui, inquit, *probi Episcopi, non solum Dei, sed etiam Regum legibus obtemperare debent.*

At, inquies, Non video, quâ ratione Pontificii existant se obedientiâ Politici Magistratus. Respondeo. Res est clara: Supremum enim omnium se statuere Domum, quid est aliud? Hinc illæ voces: *Super gentes & regna Romanus Pontifex constitutus est. Extravag. commun. lib. 1. Tit. 1. De consuetudine super gentes.* Et qui tribuunt sibi utrumque gladium, num se subjicient Politico Magistratui? aut ille, cui ita adulantur, (*Ex Psal. 8. 2. 8. 9. Egregiam vero expositionem!*) Deus omnia subjecit pedibus ejus, h.e. Pontificis Romani. Oves, id est, Christianos; Boves, id est, *Judeos & Haereticos;* Pecora campi, hoc est, *Paganos;* Pisces maris, id est, *animas in Purgatorio;* Volucres Cœli, id est, *animas bestiarum.* Antonius Archi-Ep. Florentinus, ut citat Stegman. in suo *Photinianismo*, pag. 173. Videatur tamen de quo Pavlus

e. Theſſ.

2. *Theſſ. 2. 4.* pronunciet: & obſervetur, quod Christus talem ſuperbiā conſutavit, ſimulque officium miniſtrorum erga magiſtratum Politicum docuit, *Matth. 20. v. 25. 26. 27.*

Deinde in FESTO.

D O C T R I N A.

Magiſtratus in primisque Judices tardiores eſſe conuenit in ferendā capitali ſententiā. Sic Festus licet à Juđæis vehementer urgeretur & poſſet, tamen Paulum non condennavit. *Prov. 25. 2. Honor Dei eſt abſcondere rem, honor autem Regum perveſtigare rem.*

Optimè Pilatus qui non statim ad clamores impiorum Juđæorum innocentem Dominum, condennavit: laudandissimus, ſi in eo perfeverāſſet proposito. Huc refer exemplum Christi, *Joh. 8. 8. ii. Felicis præſidis, Act. 24. 22. 23. Romanorum, Act. 25. 16.* Nero, qui primo quinquennio hujus præcepti non omnino erat immemor; adeò ut recufaret ſubſcribere libellis continentibus ſententias de ſuppliciis fceleratorum. De quo ad ipsum Seneca in lib. de Clem. *Animadversurus in latrones duos Burrus præfectus tuus vir egregius, & tibi principi notus, exigebat a te, ſcriberes, in quos & ex qua cauſa animadverti velles.* Hoc ſepe dilatum, ut aliquando fieret, iſtabat. *In uitioſe invito cum chartam protuliffet traderetque, exclamaſſti, Velle nescirem literas!*

RATIO. 1. Quia qui temerè decernunt facile innocentem condennant: ut patet in judicibus qui Nabonum condennarunt, *i. Reg. 21. 13.*

2. Quia cui ſemel adimitur vita, nunquam illi reddi potest

poteſt, nec ullum preſtium. Hinc illud natum; Nulla ſatis diuturna mora eſt, cum agitur de capite hominis.

UſUS INSTITUTORIUS.

Pii itaque judices non ex affectu judicabunt, nec temerè decretum in quenquam ferent: non Davidem imitabuntur, 2. Sam. 16. 4. ſed hunc Festum: imò natu-ram; ſunt enim Patres Patriæ, capita Reipublicæ; De quo eleganter Seneca ad Neronem; Tardè ſibi Pater membra abſcindit, & ubi abſciderit, reponere cupit, in abſcinden-do gemit, cunctatus diu multumque. Propè enim eſt ut libenter dāmnet, qui citò; propè ut iniquè puniat, qui nimis. Et quia judices ſunt vicarii Dei, eum imitentur, qui eſt tardus ad iram, Exod. 34. 6. Quocirca Theodosius Imperator rectè legem promulgavit, ut supplicia illorum qui capitis damnati eſſent ad 30. dies protraherentur, ut ſedatā irā Imperatoris ſententiam capitalem revocare poſſet. Theodoreetus l. 5. cap. 16. 17.

DE POSTERIORI V. I. 2.

Habuit ergo Paulus comites, 1. vinclatos, quorum ma-xima pars procul dubio erat impia & ſceleribus infa-mis. 2. in Mundo claros, in primis Centurionem, nomi-ne Julium, Paulo amicissimum, de quo poſtea. 3. Pios, aristarchum fidum Pauli Achatem. Non tantum enim Romam cum eo proficiſcit, ſed etiam aliàs Pauli Pe-regrinationis fuit ſocius, Act. 19. 29. Habuit etiam co-mitem pium Lucam Euangelistam & itineris hujus fide-lem scriptorem, Act. 1. t. imò & alia cum Paulo itinera conficiebat, uti in Macedonia, Act. 16. 10. 11. Philip-pos, Troadem, Act. 20. 6.

H Y P O T Y P O S I S

D o c t r i n a I.

Pii à Mundo habentur pro sceleratis. Ita hoc loco videmus, *Paulus* cum vincit maximam partem ob sceleris Julio traditur à Festo præside. *Josephus* castus in carcerem fuit conjectus, *Gen. 39. 20.* *Dominus noster* cum latronibus crucifixus, *Joh. 19. 18.* *Apostoli* purgamenta mundi habiti, *1. Cor. 4. 9. 13.*

R A T I O. I. In causa est innata quædam malitia & implacabile odium, quo impii flagrant contra fideles. An non enim Christum Judæi per invidiam in mortem tradiderunt? *Matth. 27. 18.* Quum tamen innocentiam suam & ipse, *Joh. 8. 46.* & alii abundè testati essent, *Matth. 27. 19.*

II. Quia vita & conversatio piorum non instituit secundum consuetudinem mundi, & quasi tacite impietatem ipsorum arguit & condemnat. Nam uti simile simili gaudet, & paria paribus facile copulantur, ita dissimilitudo morum, odium & inimicitiam causatur, *Johan. 15. 18. 19.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Ne miremur itaque si eadem hodie acciderè videmus Ecclesiæ Dei & ejus membris; Si pro impiis habentur, si pro causis publicarum calamitatum, bellorum, famis, si ut turbatores pacis publicæ traducuntur, poenitentiæ afficiuntur, in exilia pelluntur. Hæc est natura impiorum, calumniari fideles, eosque pro sceleratis reputare. Nec nova est hæc Diaboli techna, quâ doctrinam Christi odiosam reddere studet. *Christus* ut dæmonius, turbator pacis, rebellis traducebatur, *Luc. 23. v. 2.* Idem usu veniebat primis Christianis, quos dicebant

esse

esse homines impios, lucifugas, qui noctu convenienter, caput asini & genitalia sacerdotis sui adorarent; item, quod essent scortatores, adulteri, &c. Ideoque quicquid mali hominibus accidebat eis hoc tribuebant. *Tertull in Apol.* Dicimur sceleratissimi, accusamur de sacramento infanticidii, & pabulo crudæ & post convivium incestus. Addit præterea idem;

Adversus sanguinem innocentium tum conclamabant, praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existimat, omnis publicæ clavis, omnis populari inconveniens Christianos esse causam. Si Tyberis ascendit in moenia: si Nilus non ascendit in arva: si cœlum sterit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianus ad leones acclamatatur; in Apolog. adv. Gent.

Sub tempus renascentis Euangelii & Reformationis Doctrinæ à superstitionibus, non deerant qui Carolo V. insurserent Euangelicos esse homines omnium sub sole sceleratissimos: quippe qui sine matrimonio in honestè belluino more viverent: ideoque impossibile esse in Romano Imperio pacem & felicitatem sperare, quamdiu Euangelici vivunt. *Axiom. Eccl. Richt. p. 254.*

Sed calumniæ adeò sunt manifestæ, ut non sit necesse eas refutare; sed potius monere, ne moveamur talibus, quin potius patienter injurias feramus. *Hort. Jacob. 5. v. 10. 11.* Et hoc nos consolemur, quod ita & Christo capiti nostro simus conformes futuri, & omnibus fidelibus socii: nec nostram esse hanc ignominiam, pro sceleratis reputari, sed gloriam: quippe Christus sibi haec adscribit; *Act. 9. v. 4.*

DOCTRINA II.

Deus suos in afflictionibus nunquam deserit, quin potius de mediis quibus eos consoletur, prospicit. Ita hoc loco ideo Aristarchum & Lucam Paulo adjunxit. Testatur Paulus 2. Cor. 13. 4. 5. Exempla; Davidem fugientem à facie Absolonis consolantur subditi fideles, Barfilay & alii, 2. Sam. 17. v. 27. 28. 29. Tres socios in ignea fornace Angelus, Dan. 3. 25. Paulum in carcere Onesiphorus, 2. Tim. 1. v. 16. 17. 18.

R A T I O 1. Quia est fidus in promissis suis. Jam verò promisit se suos non deserturum, Hebr. 13. v. 25. Nequaquam te omittam, neq; unquam te deseram. Sic Matth. 28. vers. 20.

Object. Videm⁹ tamen nonnullos omni fuisse consolatione destitutos. *Resp.* Etsi aliquando Deus externa nō adhibet media, tamen certo certius est, quod internā Spiritū S. consolatione eos non destituat, quæ majoris est ponderis, quam externa adminicula. Atque hinc est, quod Martyres ab omnibus derelicti, tamen lætissimi mortem subibant.. Dionysius ad Diocletianum: Etsi, ait, millies occidi possem, Dominum meum Jesum confiteri non cessarem. Et unde hoc, quod Apostoli contumeliā affecti gauderent? Act. 5. 41.

2. Quia tanto eos amore prosequitur, ut eos nullatenus possit deserere. Hinc eos sibi dicit esse id, quod homini charissimum solet; ut, pupilla oculi, Zach. 2. v. 8. 12. Inde amorem suum majorem esse dicit, quam matris erga infantem suum, Esa. 49. v 14. -- 17.

Usus CONSOLATORIUS.

Quicquid ergo tandem adversi acciderit, bono si-
mus

C O N C I O N I S I.

17

inut animo, Deus nos non deseret. Pater est, non tan-
tum dum bene facit, sed etiam dum castigat. Si famem
immittit, prospiciet de mediis vitam sustentandi, ut Ja-
cobo; si persequutionem, Aristarchum & Lucam adjun-
get, ut Paulo; si mortem, manifestabit se, ut Stephano;
si peccata conscientiam turbabunt, absolutionem &
condonationem nunciabit per Ministros: atque ita
verum semper & ubique experiemur, Deum non dese-
rere suos, hoc est, sui amantes, fidem ei suam in eum
pietate probantes. Ita enim promisit, Esa. 42. 26. 27. 28.
(aliis, Esa. 43. 1. 2.)

H Y P O T Y P O S I S
C O N C I O N I S I I.

Textus. Actor. 27.

3. Alterā autem die devecti sumus Sidonem: & Julius hu-
maniter tractato Paulo permisit ut ad amicos profectus,
ab illis refocillaretur.
4. Illinc verò prorecti sublegimus Cyprum, quod venti essent
adversi.
5. Et Pelagus quod est secundum Ciliciam & Pamphyliam
ēmensi devenimus Myra urbem Lyciae.
6. Et illic nactus Centurio navem Alexandrinam navigan-
tem in Italiam, imposuit nos in eam.

E X E G E S I S.

E Gimis in præcedentibus de initio itineris Pauli
Romam, deque ejus comitibus. In his verbis ha-
bemus, quomodo iter hoc ulterius successerit cum om-
nibus simul, tum in specie Paulo. Itaque agitur hic;

B

De,

De tribus stationibus, quarum, 1. erat Sidone. 2. ad Cyprum. 3. Myræ in urbe Lyciæ.

DE PRIMA STATIONE. V.3.

Sidon erat civitas maritima, & olim metropolis Phœniciae, ubi Dominus noster etiam docuisse perhibetur, *Matth. 15. 21.* Hic verò notatur à Luca, 1. *Tempus;* quo Sidonem pervenerunt; alterà die, postquam nempe navigium concenderunt Adramytenum. 2. *Humanitas Centurionis* erga Paulum vincitum singularis. Quam primò in genere ponit, *humaniter (ajens) tractato Paulo:* id est, omnia ei quæ ab Julio profici potuerunt exhibuit humanitatis officia. Deinde in specie, quod ei concesserit navi exire & in urbem ad amicos suos abire. 3. *Tandem finis indicatur*, ut ab illis Paulus vincitus refocillaretur.

D O C T R I N A.

Hæc est Dei consuetudo, quod non raro ex inimicis atque hostibus Ecclesiæ facit amicos: ex iis, qui à fide alieni sunt, benefactores. Exemplum est in Centurione Romano & Paulo Judæo natione, fide verò Christiano. Nam, *quum benevolentia prosequitur Jehova vias alicujus,* etiam inimicos ejus pacatos reddit ei, *Prov. 16: 7.* Alia exempla; Tribunus cohortis, *Act. 21. 32.* Ægyptii dant Judæis aurum, *Exod. 12. 35. 36.* Ahasuerus humanum se exhibet erga Estheram & populum Judaicum jamjam trucidandum. Vide librum Esther. Sedechias Rex erga Jeremiam Prophetam, *Jer. 38. 8.* *Paulus Vergerius Legatus Pontificis Romani* in Germaniam eo fine, ut Imperatori & aliis Principibus persuaderet, ne Euangelicam Religionem latius serpere paterentur, cum ejusdem Religionis funda-

C O N C I O N I S II.

15

fundamenta consideraret, subito ex hoste Euangelii factus est ejus assertor. *Sleid. lib. 21. sub. An. 1548.*

R A T I O I. Ut ostendat Deus se erga suos amicos aliter affectum esse, quam homines solent erga suos. Hi cum illos vident ab adversa parte superari, discedunt, & non raro ipsi met eis hostes redduntur. *Exemplum est in Achithophele, contra Davidem conjurante, 2. Sam. 15. 12.* Non sic Deus nosler.

I I. Ut manifestum faciat se esse omnipotentem & optimum: qui praestare potest, ut diligentibus eum omnia inserviant in bonum, *Rom. 8. 28.*

U s u s C O N S O L A T O R I U s.

Quid ergo in hisce Ecclesiæ persequutionibus tantum trepidamus? quid ita tyrannos metuimus? An Deo & ejus bonitati ac omnipotentiae toties comprobatae diffidimus? Idem est, qui & ante, nec mutatur bonitate aut voluntate erga suos: uti testatur, *Malach. 3. 6.* Conspirent adversus Ecclesiam homines, durissimòs que se erga eam exhibeant, prout veteres Imperatores erga Primitivam: eodem modo potest emollire hostium suorum animos, quo fecerat tunc temporis. De quo *Euseb. Hist. 1. 8. 1. 2.* Quanta comitas, inquit, erat Imperatorum erga nostros quibus praefecturas gentium deferebant, quos impunè libereque preferre sinebant religionem suam, in summo honore habebant, diligebant unicè, maximeque fidos sibi putabant, ut, Dorothenum illum & Gregorium. Ecclesiarum etiam praesides, non minorem expericbantur humanitatem, agebantur conventus numerosissimā hominum frequentia, solitæ aedes multitudinem non capiebant, sed neesse erat novas & ampliores extruere. Hucusque Euseb.

Pellamur licet inter Gentiles, tamen ibi etiam Julianum aliquem inveniemus: aut detrudamur in carcerem cum Josepho, Potipharum: vel ad mortem condemnemur cum Moyse, filiam Pharaonis, &c. Hoc tantum opus est; 1. Ut tam in adversis quam prosperis rebus huic tam bono Deo adhaeremus fideliter, sequuti Pauli exemplum: & *Jobi*, c. 13. v. 15.; ac *Discipulorum Christi*, *Job.* 6. v. 67. 68. 2. Ut quoties metus hostium aliquis ingruit, ad Deum per veram resipiscientiam revertamur; tum enim auxilium promisit, *2. Chron.* 30. 9.

D E S E C U N D A S T A T I O N E. V. 4.

Cyprus insula, olim novem regna habuit, hodie Venetis paret, quemadmodum Creta & Corcyra. Patria erat Barnabæ, qui ideo Cyprius genere vocatur, *Act. 4.* v. 36. Sidone navigâssent rectâ Septentrionē versûs. Verum quia adversus esset ventus, præter institutum suum navigaverant ad occidentem. Et recte: cavenda enim sunt temeraria pericula, siquidem qui periculum amat, peribit in eo. Quod exemplo *Afaëlis*, *2. Sam.* 2. 23. *Petri*, *Luc.* 22. 33. & aliorum est evidens.

D O C T R I N A.

Sæpe piis ex animi sententia non succedit, licet vestigiis vocationis suæ insistere videantur. Exemplum est in *Paulo*, qui jussu ipsius Dei Romam contendit, & tamen ventum adversum habet. Ita *Josephus* fugit adulterium, & tamen incarcatur, *Gen. 39.* 15. 20. *Daniel* idolatriam, & inter leones projicitur, *Dan. 6.* 17. *Abraham* Deo obedit, & tamen caret liberis. *Parentes Domini nostri*, postquam omnia quæ ad cultum Dei pertinebant Hierosolymis perfecerunt, (ah luctus!) Filium amiserunt.

miserunt, *Luc. 2. v. 43.* Jobus pientissimus & afflictissimus.

R A T I O I. Sapientissimè Deus in eo agit. Primò quidem ideo, ne si semper prosperis fruantur rebus à Deo deficiant, quod facile tum fieri solet. *Exemplum est in Salomone; imò Davide.* Similes sumus filio prodi-go, *Luc. 15. 13.* Ideoque hoc ipsum Deus cavet, *Deut. 8. 10. 11.* Verè enim dicitur;

*Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est aquâ commoda mente pati.*

II. Ut exploretur nostra in Deum fides & constantia, ferviditasque in orationibus excitetur. Certè crux ducit ad Deum: & quò major calamitas, eò frequentius atque ferventiùs anima pia orat. Nisi David nonnunquam fuisset afflictus, careremus multis insignibus Psal-mis, quos in cruce sua composuit.

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Igitur si quando nobis infeliciùs succedit, in valetudine, mercimonis, frugibus colligendis &c. ne murmurremus adversus Deum: optimo facit consilio: multò minus existimemus Deum nobis non adesse. Piis enim talia eveniunt; imò quò quis Deo propior, eò ferè in rebus humanis infelicior. Nec sequamur Gideonem, qui cum ab hostibus affligerentur ejus populares, putabat secum non fuisse Deum, *Jud. 6. 13.* Verùm patienter feramus cum Davide; qui fugiens, dicit: *Obmutatio, non aperio os meum: quia tu fecisti,* *Ps. 19. v. 10.* Adhæc sciamus, fidelibus bene esse, etiam si hīc sint afflictissimi: impios verò afflictissimos, licet hīc felices videantur. Vide illustrem Dei sermonem *Esa. 3. 10. 11.*

DE TERTIA STATIONE. v. 5.6.

Myra una ex maximis Lycię civitatibus, quarum Strabo lib. 14. ex Archimedro sex refert. Dicta fuit ita à Myro fluvio. Huc devenerunt, emensi mare, quod est juxta Ciliçiam, & Pamphyliam. Navis, qua huc vēcti sunt, non ibat ulterius: ergo haud dubiè solliciti de aliâ cogitabant. At commodè invenerunt navim abeuntem in Italiam.

D O C T R I N A.

Deus providet fidelibus de rebus necessariis etiam absque magno illorum labore. Hujus habemus exemplum in *Paulo*, qui non minus atque alii de altera navi cogitabat: & sine dubio precibus Deum sollicitabat & obtinuit: atque in ejus gratiam alii quoque ipsius comites. Hoc testatur David, *Psal. 36.7.8.* *Jehova homines & jumenta conservas. Quam pretiosa est benignitas tua Deus: quem filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiunt.* Exemplum est in *Elia* per ministerium Angeli mirabiliter cibato, *i. Reg. 19.5.6.* Ita Christus Canæ in nuptiis de vino sufficienter providit, *Joh. 2.7.8.* Ita etiam *Mulier* ob persecutiones in desertum fugiens, sustentatur, *Apoc. 12. 1.6.7.*

R A T I O I. Quia est ipsorum Pater, illi ejus filii. Ille Paterfamilias, illi ejus familia & domestici; uti *Paulus* testatur *Eph. 2.19.* Quemadmodum ergo pater non potest non prospicere liberis suis de rebus necessariis, dominus servi, &c. ita ille.

II. Uteos in sui amorem alliciat. Hic enim est finis Dei beneficiorum, ut eum agnoscamus, colamus, & amemus. Ideoque ingratos acriter increpat, *Esa. 1.2.3.4.*

Usus

Usus I. CONSOLATORIUS.

Quod maximæ consolationi inservit. Nam quid quæso nobis deerit, postquam ille de omnibus necessariis prospicit? Num victus? quem miro modo Israëlitis in deserto præbuit per quadraginta annos? Danieli in foveâ leonum: Eliæ ad rivum Carioth. &c. Aut nos protectione ab inimicis destituet? Nequaquam certè. Ex insperatò ille, licet jamjam tergo imminet protegere potest: uti se hoc solatur David, *Psal. 27. v. 5.* *Abscondit me in tugurio suo, tempore adversitatis: absit me in abdito tentorii sui, in rupem attolleret me.* Exemplum est in *Hist. Eccles.* Vir quidam pius fugiens persecutores in speluncam aliquam se abdiderat. Deus verò statim araneam instruxit, ut insequentes non recentem sed veterem telam esse putarint, ideoque nec in speluncam intraverint.

Usus II. INSTITUTORIUS.

Confidamus ergo huic nostro Domino semper & in omnibus necessitatibns. Est enim providus: hinc ei septem oculi tribuuntur, *Apoc. 5. v. 6.* Amemus etiam eum supra omnia. Est enim bonus; adeò ut nondum clamantibus, respondeat: adhuc nobis loquentibus, nos exaudiat: prout promittit, *Esa. 65. 24.* Itaque certisimus, quod de omnibus providebit: nec simus solliciti de animâ nostrâ nimium, sicut monet servator, *Matth. 6. 25. 26.* Imò quo melius ejus erga nos amorem perspiciamus, dabit post hanc miseram vitam felicem & æternam.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S III.

Textus. Actor. 27.

- 7. *Quumque non paucis diebus tardè navigaremus, vixque pervenissimus secundum Gnidum, non permittente nobis vento: sublegimus Cretam secundum salmonem.*
- 8. *Et illam vix præterlegentes, pervenimus in locum quendam, quem vocant Pulcros portus, cui propinqua erat civitas Lassæa.*

E X E G E S I S.

Hactenus egimus de tribus stationibus, sive locis, per quæ Paulus noster navigavit: quarum ultima erat civitas Myra. Ubi Centurio navi priore deserta, sive quod non ulterius pergeret, sive ob alias causas, aliam invenerat, nempe Alexandrinam in Italiam navigantem. Quo autem successu & per quæ loca eâ vecti essent, Lucas hisce describit verbis, duas addens prioribus tribus stationes, Gnidum atque Cretam.

De lenta admodum Pauli navigatione. Ubi notat Lucas;

- I. *Tempus tardioris illius navigationis.*
- II. *Causam illius.*
- III. *Ipsa loca, per quæ fuerunt vecti.*

D E P R I M O.

Tempus ponitur vers. 7. Unde patet, hanc tardiorem navigationem bene multis diebus, atque ita longo tempore durasse: qualis navigantibus perquam molesta esse solet, dum in diem vix unum atque alterum confi-

cere

cere possunt milliare. Et quanquam Deus omnipotens facile ventum secundum, quo ocyssimè promoveretur navis in eaque pius Paulus, potuisset excitare; tamen placuit ei ita procedere, ut observemus iterum Dei morem.

D O C T R I N A.

Deus aliquando solet fideles diu exercere afflictionibus, nec starim optato adest auxilio. Hinc David clamat: *Saturata est malis anima mea, & vita mea ad sepulcrum periret*, Psal. 88. 4. Moses vero orat; *Lætifica nos, ut dies multos afflixisti nos; annis multis experti sumus malum*, Ps. 90. 15. Exemplum hoc loco in Paulo. Ita Israëlitæ pressi à Philistæis octo annis, *Jud. 10. 8.* Quadraginta annis, *ibid. 6. 13. v. 1.* Ab Ægyptiis 400. annis. A Babylonii annis 70. *Jer. 25. ii.* David 10. annis exulat. Josephus tres annos in carcere. Alia Exempla vide *Joh. 5. 5.* *Matt. 9. 20.* *Joh. 9. 1.*

R A T I O I. Ut ostendat se esse Omnipotentem, qui rebus etiam desperatis succurrere possit: & ut totus mundus inde, liberationem esse Divinam intelligat. Cum Judæi ab Imperatore Caligula duriter, sed injustè tractarentur, missus fuit ad eum Philo, ut Cæsaris animum, objecta crimina refutando, emolliret. Verum, cum ne quidem ut audiretur impetrare posset, suos vero collegas ideo tristari videret, verissimè inquiebat, eos solando: *Bono & præsenti animo estote fratres: nec propterea quod non audiamur, & quod inclementem Cæsarem habeamus, animum abjicite: ubi enim definit humanum præsidium, ibi incipit divinum auxilium.* Quis sperasset Jonam ex Ceti ventre emersurum, qui jam per triduum ibi conservabatur? *Jon. 1. 17.* Aut Christum à tertio die

sepultum? *Matth.* 28. aut viduæ illius filium mortuum
evigilaturum? *Luc.* 7. 14.

II. Ut probet quantam fidem & spem in eum habemus.

III. Ut nos doceat in adversis patientiam.

IV. Ut in precibus fervorem excitet.

V. Ut doceat non in auxilio humano, sed in ipsius Dei, fiduciam esse ponendam: uti hortatur David, *Psal.*

46. v. 2. 3. 4.

U s u s I N S T I T U T I O N I S.

Ne ergo unquam de auxilio Dei desperemus, licet diuturnis jactemur afflictionibus. *Exemplo* nobis præxit *Job.* 6. 13. 15. Et *Jeremias* in direptione Hierosymorum, *Thren.* 3. 24. Quin potius hanc horam patienter fera-
mus: certi, Deum tandem affore; uti testatur & mo-
net *Habac.* 2. 3. *Exemplum* est in *Christo*; qui vinum ex a-
qua fecit, licet non ad matris mentem, tamen ad ho-
ram suam præstitutam, *Job.* 2. 4.

Ad patientiam autem nos excitet, 1. *Mandatum* Dei per *Jacobum* expressum; *cap. 1. 2. & 5. 7. 8.* *Patiens animo estote.* 2. *Quia ad eam vocatis sumus, 1. Pet. 2. 21.* 3. *Quia hoc demum Deo est gratum si quis ita patitur,* *2. Pet. 2. 19. 20.* 4. *Exempla*, *Abelis, Josephi, Jobi, Davi-
dis, Psal. 39. 8. 10. & 130. 5. 6. 7.* 5. *Providentia Dei*, quæ
tui etiam afflictissimi curam gerit: cuius rei est exem-
plum in *Christo* in cruce pendente: providit enim ne
crux ejus frangeretur. In *Amvratio Galliae*, *Gasparo Co-*
lignio eximio illo Heroë in lanienâ Parisiensi trucida-
to. Cujus quidem licet caput Romam esset transmis-
sum, reliquum verò cadaver de patibulo suspensum,
tamen

tamen quidam contra interdictum illud cadaver patibulo deripuit & honesto loco sepelivit. Parrisiis id accidit, A. Ch. 1572. 6. *Felix eventus*, quem indicat Paulus, *Heb. 10. 36. 37.* & Jacobus, *cap. 5. 7. 8.* 7. Aut saltem *Gentiles* pudorem inquit iacent impatiens. Philosophi enim licet in aliis dissentiant, solam omnes Patientiam commendant. Hinc Diogenes dicitur ad statuas genibus flexis orasse, ut Deorum auxilium patienter exspectare disceret.

Notæ autem Patientiæ sunt hæ; 1. *Silentium*; cuius Exemplum in Arone, *Levit. 10. 3.* Domino nostro, 1. Pet. 2. v. 23. Davide, *Psal. 38. 13. 14. 15.* 2. *Studium audiendi* verbum Dei, & custodiendi mandata ejus; *Psal. 119. 69. 70.* 3. *Preces ardentes* & spes auxilii Dei, *Psal. 37. 3. 4.*

D E S E C U N D O. v. 7.

Causa hujus tardioris navigationis erat adversus ventus; in verbis, *non permittente nobis vento*. Propositorum Pauli Romam eundi sanctum erat: quippe Deo autore, & ideo suscepimus, ut innocentiam suam manifestam redderet, Euangeliūque prædicaret, ac ita muneri satisfaceret suo. Et tamen illud non satis ex voto procedit; impeditur enim vento aduerso. Cujus exemplo docemur.

D O C T R I N A.

Homines pios nonnunquam in optimo proposito varia habere impedimenta, quo minus illud ex animi sententiâ exequantur.

Sicut & alibi Paulus de se testatur; *Invenio igitur volunti mihi facere bonum hanc legem impositam esse, quod mihi ma-*

hi malum adjaceat. Sic *Iudeos* Templum Hierosolymitanum ædificaturos multoties impediebant ipsorum hostes, *Esd. 4. 1. 24.* *Iudem* muros urbis erecturis resistebant, *Neh. 6. 9.* &c. *Paulus* saepius fuit impeditus ire Romam, uti ipse scribit, *Rom. 1. 13. & 15. 22.*

R A T I O I. Respectu Dei, qui talia impedimenta ideo permittit, ne felicem successum atque exitum nobis, nostris viribus, aut prudentiæ adscribamus, sed ei soli, ita ut cum *Davide* dicamus: Non nobis Domine, &c. *Psal. 115. v. 1.*

II. Respectu nostri, ut deinde optato fine adepto, gratiore simus in Deum. Ita *Jacob* fecit, *Genes. 28. v. 20. 21. 22.*

III. Respectu Diaboli, quia scit homines pios quicquid boni agunt, totum id dirigere ad destructionem ejus regni & promotionem gloriæ Dei, quam ille ex invidiâ impedire conatur. Sic *Paulo* in insula Papho Euangelium prædicaturo, Magus obsistebat, *Act. 13. 7. 8.* *Eundem* quum vellet ire Thessalonicanam impedivit *Sathanas*, *i. Thess. 2. 18. 19.*

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Quod si nos similia experimur impedimenta in laboribus honestis, in pietatis cursu &c. ne abjiciamus animum, neque à cœpto cursu desistamus. *Iudei* licet semel atque iterum essent interturbati, tamen tandem ad umbilicum opus deduxerunt, *Esd. 4. 5.* Hodie itidem cursum Euangeli variè impediri videmus, in primis persequutionibus: quo fit ut multi illud & pietatem deserant. At nobis non sunt imitandi *Iudei*, de quibus

quibus *Jer. 44. 18. 19.* neque *Brutus*, cuius hæc erant verba: *O misera virtus, nomen inane te quidem ceu rem colebam, at serva tu fortunæ eras.* Verum etiam si res nostræ infelicius succedant, veritas cœlestis cum pietate ad mortem retinenda est: his enim solis corona vitæ & gloriæ promissa est, teste Paulo, *2.Tim.4.8.*

D E T E R T I O . vers. 7. 8.

Loca tria commemorantur; 1. secundum *Gnidum*, parvam insulam Cariam spectantem. 2. *Creta* secundum *Salmonem*. Creta, insula centum urbibus clara. Hodie Candia. Salmon autem est in Creta promontorium. 3. Locus quidam quem vocant *Pulcrum portum*: cui propè adjacebat *Lasæa* civitas Cretæ littoralis. Tot stationes eò commemorat, ut difficilem & molestam fuisse navigationem innuat.

D O C T R I N A.

In eo autem, quod Paulus tandem Pulcros attigit, portus, elegantem habemus typum Cœlestis Portus, quem omnes pii exantlati hujus vitæ laboribus & modestiis assequuntur. De eo rectè pronunciavit Bernhardus: *Quod sit finis laborum, & victorie consummatio, atque æterna securitas.*

RATIO I. Quia hoc est à Deo promissum, *Esa.32. v.17.18.* Tunc erit opus justitiae pax: effectus, inquam, justitiae tranquillitas & securitas usque in seculum. Nam residet populus meus in cœla pacis, & in habitaculis securissimi, atque in locis ad quietem tranquillissimus. Sic *Joh. 6. v.39.* idem Christus promittit.

II. Quia hoc requirit Dei justitia, ut nobis tandem aliquan-

U s u s C O N S O L A T O R I U S .

Itaque hæc sit nostra unica & maxima in omni afflitione consolatio. Quid enim nautæ in mari non perferunt ea spe quod tandem portum optatum attingent? Mundus autem in quo vivimus & vita mare est; Ecclesia navis; ut ille versiculus innuit: *Mundus ut est pelagus, sic est Ecclesia navis.* Crux, adversitates, &c. sunt instar ventorum, & tempestatum, quas Diabolus excitat, ut Ecclesiæ naviculam opprimat: frustrà tamen est. Perueniemus ad portum per resurrectionem beatam, portum nempe vitæ æternæ. Hoc eodem se solabatur Job, 6. 19. 25. & seq. idque jure: ibi enim non erit ulla afflictio, neque fletus, &c. Apoc. 7. 16. 17.

H Y P O T Y P O S I S
C O N C I O N I S IV.

Textus. Actor. 27.

9. Non parvo autem tempore peracto, & quum jam esset periculosa navigatio, quodjam etiam jejunium præteriisset, admonebat eos Paulus.
10. Dicens eis, viri, video cum injuria multoque danno non solum oneris & nauis, sed etiam capitum nostrorum, futuram navigationem.
11. Centurio verò gubernatori & nauclero potius assentiebatur, quam iis quæ à Paulo dicebantur.

E X E G E S I S .

Hactenus dictum est de molesta Pauli navigatione & difficiili. Quia enim adversi venti nāvim re-

tar-

tardarent, inde factum fuit, ut vix ad Cretam insulam perventum esset. Sed non satis fuit eam difficilem fuisse, nisi accessisset summum vitæ periculum, quam vix servaverant. Videtur autem, eos non fuisse tantum periculum experturos, si locum Pauli consilio dedissent, de quo nunc agendum. Habemus ergo hīc;

Consilium Pauli, quo Centurioni suadet, ut illa hymene ab ulteriore navigatione abstineret.

Notat autem hīc Lucas, 1. Tempus. 2. Rationes, 3. Effectum hūjus consilii.

D E P R I M O. v. 9.

Tempus fuit, pars anni Autumnalis: quod inde patet; *Primo*, quia periculosa esset navigatio, ob adversos & impetuosos ventos, qui illa anni parte spirare ut plurimum solent. *Deinde*, quia etiam jam jejunium præteriisset, nimirum Judaicum, quod septimo mense (qui nobis partim incidit in Septembrem, partim in Octobrem) ex institutione divina celebrabatur, vide Lev. 6.29. Addit etiam fuisse hoc tum, quum jam multo tempore minus secundo navigatum esset vento, & id per varios sinfractus ambagēsve. Quæ omnia videntur à Luca eò commemorari, ut appareat, eos compluria sui itineris habuisse impedimenta & molestiarum causas.

D O C T R I N A.

Ita sanè est, Fideles non unam sed multas experientur calamitates; imò quo quis Deo charior, eo ferè in hoc mundo afflictior. *Paulus* hīc non tantum ventum habuit adversum, sed etiam tempus. *Hinc David, Psal. 34. 20. & Paulus, Act. 14. 22.* Ita *Populus* Dei ante se habebat

mare,

mare, post se Ægyptios hostes. Deinde Amalecitas: inde siti urgebantur, &c. Exod. 14. & seq. Job amisit bona, familiam & liberos: tandem & valetudinem, immo amicos expertus est inimicos; ut verè dixisse potuerit: *Nulla calamitas sola.* De hac sua sorte conqueruntur etiam alii sancti; Asaph, Psal. 73. 13. 14. Abacuk, c. 1. v. 13. 14. aliique fideles, Rom. 8. v. 36.

R A T I O I. Quia multos habent hostes, qui eos undique infestant; Diabolum, mundum, &c. Testatur David Psal. 3. 2. 3. Aggrediuntur eos tum clam tum palam: calumniis, odiis, invidiâ, persequutionibus, &c.

II. Quia vita hæc nostra militia est, Job. 7. 1. Uti miles multas perfert molestias non unam; ita fideles. Nostra est hæc palæstra, in qua non cum una re adversa conflictandum. Quemadmodum enim catena constat ex multis annulis invicem se trahentibus: ita in vita nostra una afflictio sequitur alteram; ut verè cum Davide possimus dicere, abyssus abyssum inclamat, Psal. 42. 8.

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Quocirca tranquillitate fruentes, mature de turbis cogitemus; in pace de bello; in prosperitate de calamitatibus, animosque nostros excipiendis multis adversitatibus instruamus, ne incauti opprimamur. Tela enim prævisa minùs nocent. Beatus August. benè monet: In tranquillitate pacis comprehendenda est doctrina sapientiae, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur, nec facile inveniuntur in adversitate præsidia, quæ nō fuerunt in pace quaæta. Ea est conditio nostra quæ omnium fidelium. Nullum sanctorum dabis, qui semper prosperos rerum

rerum suarum successus expertus fuisset. Usque adeò verum est illud tritum :

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt;

Et quocum certet mens pia semper habet.

Imitemur navim, quæ contra omnia est parata, contra ventum, fluctus, piratas, &c. Ita nos: unde eum habebimus fructum, quod toleratis patienter hujus vitæ malis, tandem in cœlo victores triumphabimus; quo apprimè faciet sedula verbi Divini meditatio; fides, quæ est victoria nostra, & preces ardentes.

D E S E C U N D O.

Orationem suam Paulus confirmat à periculis, quæ imminerent; 1. Mercibus & aliis rebus navi vectis: de quo iofrà. v. 18. 19. 2. Ipsi navī, quæ etiā postea confracta est, v. 41. 3. Ipsorum vitæ propriæ: quæ quanto in periculo esset, videbimus deinde. Quia verò hæc omnia evenere, inde certum est, Paulum de hoc consilio divinitus admonitum fuisse: consulebat etiam ideo, quod ipse in navi esset, sed maximè charitate Christiana excitatus.

D O C T R I N A.

Ea est verorum ministrorum natura, quod si quem in exitium ruere vident, fideliter eum admoneant. Ita hoc loco agit Paulus. Et hanc veræ charitatis indolem exprimit idem, 1. Cor. 13. 5. 6. Ita etiam Vir Dei monet Amaziam, ne assumat secum in prælium exercitum Israëlitatum, quia Deus cum illo non esset futurus, 2. Chron. 25. 7. Elisæus flebat, quod prævideret malum, quo afflitus esset Hasaël populum Dei, 2. Reg. 8. 11. 12. Similiter Jeremias c. 9. v. 1. Dominus Christus, Matth. 7. 15. Luc. 19. 47. Paulus, Act. 20. 28.

R A T I O I. Quia hoc est eorum munus à Deo de mandatum, Ezech. 33.7.8. Quo pertinet, i. Cor. 9.16. Ne cessitas mihi incumbit: vñ autem mihi est nisi euangelizem. & 2. Tim. 4. 2.3. idem mandatum repetitur.

I I. Quia sunt patres spirituales; quomodo ergo vi derent liberorum suorum interitum? Non ita affecti sunt, uti fuit Caligula erga Romanam Rempub. de quo Sueton. ita: *Queri palam solebat de conditione temporum, quod nullus calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Varianâ, Tiberii ruinâ spectaculorum, ad Fide nas memorabile factum, sui oblivionem imminere prosperitate rerum; atque identidem exercituum cladem, famem, pestilentiam, incendia, hiatus terræ optabat.* Ministri Christi aliter, uti videre est in Paulo, Phil. 3. 17. 18.19. Hæc autem natura est aliorum etiam fidelium. Exemplum habes in Davide & Jonathane, i. Sam. 19. 2.3.

U S U S I. C O R R E C T O R I U S.

Quàm ergo procul absunt ab horum indole, quicum que alios in exitium ruentes non monent; multò longius, qui malo eorum gaudent. Sicut Dœg ex malo Davidis, Psal. 52. Edomæi ex Judæorum calamitate, Psal. 137. 7. ex Christi, ejus hostes, Matth. 27. 41. 42. Cogitare debent tales, pugnare hoc contra præceptum charitatis. Deus enim jubet diligere proximum ut nos ipsos, Matth. 22.39. Mederi malis proximorum nostrorum debemus, non augere ea, quod facit Ithai Gittheus, qui cum suis milibus Davidi exuli auxilium tulit, 2. Sam. 15.19. Consideranda est rerum humanarum inconstantia, Prov. 27. 1. & pœna Dei talibus denunciata, Prov. 17.5. & c. 24. 17.18. Vei saltem dent operam, ne eis Ethnici pudorem incutiant.

tiant. Certè *Scipio Africanus* non sine lacrymis incendium Carthaginis aspexit: nec *Julius Cæsar* caput *Pompeji* amputatum, licet sui hostis: quod deinde etiam honeste sepeliri curavit. *Alexander M.* viso cadavere *Darii Regis*, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis est prosequutus; regioque ornatum cultu patrio more sepeliendum curavit. Vide etiam *Jac. 2. 13.* gravem talibus comminationem.

U S U S II. H O R T A T O R I U S.

I. *Primò ad Pastores*; ut officio hoc, Paulum & alios sequuti, diligenter defungantur. Sint *Veronenses* non *Placentini* concionatores: nec sint muti canes ad vitia populi, quae sunt signa interitus. Alioquin de talibus conqueritur Deus, *Esa. 57.2.3.* (*aliis 56.10.11.*) Imò vœ denunciat, *Ezech. 13.18. 20.*

II. *Deinde ad Auditores*; Ne obturent aures ad vocem Dei, ad admonitiones Pastorum suorum: uti mandat Deus, *Psal. 95. 7. 8.* Sanè malè fecit *Amasias*, quod præmonentem jussu Dei Prophetam acrioribus verbis exciperet, *2. Chron. 25. 16.* Moveat vos periculum: nam qui bene monentem non audit, causa est sui exitii, *Ezech. 33. v. 2. 3. 4. 5.*

D E T R E T I O . V. II.

Verissima licet fuerit Pauli oratio: omnia enim praedicta ab ipso deinde sunt impleta; nihilominus tamen effectum nullum produxit, consilium ejus contemptum fuit. Et quia sine dubio plures essent, qui contrarium suaderent, Centurio maluit aliorum verbis fidem adhibere, nimirum gubernatori navis, quam Pauli. Atque ita Paulus frustra loquutus est.

Ministri verbi Dei saepius in vanum laborant. Exemplum est hic in Paulo. Hinc *Esaias* conqueritur, c. 53. i. *Dominus, quis credidit prædicationi nostræ? & brachium Iehovæ in quo revelatur?* Sic c. 49. v. 4. Ita *Jeremias*, c. 25. v. 3. & 20. v. 8. *saluator noster, Matth. ii. 17. Tibi cecinimus vobis & non saltastis: lamentati sumus vobis, & non planxistis, &c.*

R A T I O I. *Quia multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 20. v. 16.*

II. *Quia carnales homines plerumque rationem suam sequuntur, Ministros verò Dei vilipendunt: quod exemplo Centurionis hujus, v. ii. patet: adeo quidem, ut saepe dicant cum Jobo, c. 19. v. 18. Etiam parvuli spernunt me, quum surgo obloquuntur mihi. & c. 30. v. 9. 10.*

III. *Quia summa est hominum malitia, ob quam auscultare renuunt. Tales fuere illi, de quibus Jer. 44. 17. legimus.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Primo in genere ad omnes: Quum videamus pauciorrem esse numerum credentium, ne offendamur, multò minus de veritate verbi Dei dubitemus. Hæc est conditio fidelium omni tempore: angusta est porta ducens ad cœlum. Vide quam pauci erant ante diluvium, Gen. 6. Patriarcharum & Prophetarum temporibus, 1. Reg. 19. 10. Rom. 11. 3. 4. Ipsi Christi tempore, Luc. 18. 24.

Deinde in specie ad Pastores: Hæc sibi exempla illi ob oculos ponant, quibus se in officio suo confirment, ab eoque ne latum unguem discedant. Eorum enim est quam fidelissimè munus suum exequi, eventum verò Deo committere. Et quanquam non semper optatum
repor-

reportant laborum suorum fructum; nunquam tamen omnino in vanum laborant, secundum Dei promissionem, quæ extat *Esa. 55. 10. 11.* Certò etiam expectent præmium, si (ut ait Bernh.) non secundum preventum, at secundum laborem. Hoc præmio se solentur cum *Paulo*, *2. Tim. 4. 8.* Deinde verò, quoties vident verbum Dei fructum facere, non sibi hoc adscribant, sed divinæ benedictioni; ira *Paulus*, *1. Cor. 15. 10.* Denique dent operam, ne ipsi causa sint frustranei sui laboris, imitati exemplum Pauli, *Gal. 2. 2.* Ut cum eodem possint bonâ conscientiâ dicere, *Phil. 2. 15. 16.* Auditorūmque suorum conscientias appellare, quod idem *Paulus* *1. Thes. 2. 1.* fecit.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S V.

Textus. Actor. 27.

- 12. Et quum appositus portus non esset ad hybernandum, plerique consulti decreverunt solvere etiam illinc, experturī si quo modo possent ad Phœnica devenire, & illic hyemare: qui portus est Cretæ, respicione ad Africum & Chorum.
- 13. Quum autem aspirasset Notus, visi sibi sui propositi facti compotes, quum solvissent proxime præterlegebant Cretā.

E X E G E S I S.

Egitus in præcedentibus de contemptu consilii D. Pauli: jam verò describitur, quid porrò egerint; solverunt à littoribus Cretæ. Ubi;

- I. *Causa redditur cur pulchros portus deseruerint?*
- II. *Ostenditur terminus ad quem collimaverint?*
- III. *Indicatur quo successu?*

Causæ redduntur duæ, i. quod ibi non esset com-
modus locus ad hybernandum. Sed multò satius erat
in portu minus commodo tutos hybernare, quam sum-
mo cum vitæ periculo navigationem suscipere. Non e-
nīm existimandum est, portum adeo fuisse incommo-
dum, ut præferenda esset periculosa navigatio. At quia
hanc opportunitatem contempserunt, malè se fecisse
dein' suo malo experti sunt.

D o c t r i n a.

Quotiescumque se offert comoda occasio, arri-
pienda est.

R A T I O I. Quia qui eam negligunt, damnum in-
de reportant; quod nostri nautæ exemplo suo docent;
& virgines fatuæ, *Matth. 25. 10.11.12.*

II. Qui eam observant, benè sibi consulunt & rebus
suis. Est enim occasio actionum humanarum anima.
Ideo Paulus eos qui occasione rectè utuntur vocat re-
dimentes tempus: id est, ementes rem pretiosissimam,
Eph. 5.16. Non male *Livius*: Nec consilio aut celeritate, nec
etiam virtute & quantilibet potentia, tantæ res quantæ oc-
casiorū opportunitate geruntur. Quid *Rachab* fœminam ab
interitu servavit? Occasio. Hanc enim nacta benefaciē-
di exploratoribus Judæorum, non neglexit eam, *Josue 3.*
& 6. Vide exemplum in *Abigaile*, *I. Sam. 25. 18.* & in *Phi-*
lippo Rege Maçedonum; Nam cum invictam insuperabi-
lemque adunatam Græciæ potentiam videret, ad alias se secesseret
convertit. Quippe dum in mutuum exitium imperadi cupidi-
ne sine modo ruentes cerneret, occasione utendum ratus
contentiones civitatum alendo, auxiliumque ferendo inferioris-
bus,

bis, vicos pariter victorésque subire Regiam servitutem coēgit, teste Plutarcho.

Usus HORTATORIUS.

Agite fratres, nunc commoda est occasio benefaciendi, dum nempe vivimus, dum sol Euangelii lucet: uti Apostolus monet, nunc esse tempus acceptum, &c.

2. Cor. 6.2. Igitur dum tempus est benè faciamus, ut monet idem, *Gal 6.10. Aetas non semper durat, componite nidos.* In hoc mundo sumus tanquam in mari, utamur secundo gratiæ divinæ vento. Hortatur ipse Dominus, *Joh. 12. v. 35. 36. Ambulate dum lucem habetis,* &c. Paulus, *Rom. 13. v. 11. 12.* Hæc vita est illa occasio, quam veteres Deam esse putaverunt, & ita pingebant, ut pennatis pedibus volubili rotæ insisteret, priore parte capitis capillosa, posteriore glabra. Quo commento occasionis brevitatem voluerunt significare: quæ nisi quam primum arripiantur, statim elabitur è manibus. Hæc vita similis est malis punicis, quæ veteres magno pretio emebant, eò quod non diu durarent. Hic valet illud Catonis:

Rem tibi quam noris aptam dimittere noli:

Fronte capillata, post est occasio calva.

Alexander M. quæsusitus qua ratione intra tam breve tempus totum ferè orbem sibi subjugaverit? Respondit: *Nihil cunctando.* O quam multo feliores nos erimus, qui occasionem hanc piè vivendi non negligemus! non enim terram ut ille, sed cœlum ipsum possidebimus. Infelices verò illos qui eam negligunt. Nam miserabiliter lamentabuntur, dicentes montibus: *Cadite in nos, & collibus, operite nos,* *Luc. 23. v. 30.* Tum, quanquam auxilia implorabunt, tamen frustra, non exaudientur:

vide locum huc apprimè facientem, *Prov. i. v. 24. 29.*

II. Altera causa fuit, quod plures essent, qui illinc solvere consulerent; *v. 12.* Unius Pauli consilium bonum fuit, multorum malum. At quid fit? Centurio consilium Pauli contemnit, & cum ipso alii: illorum verò amplectitur ac sequitur.

D O C T R I N A.

Imago est hic hominum irregenitorum: malunt plures sequi, licet male consulant, quam pauciores, qui bene. Exemplo sunt hi nautæ: & *Achab atque Micheæ,* *1. Reg. 22. 6. 17.* Ubi dicitur, quod Achab maluerit auscultare quadringentis Prophetis, quamquam falsò prophetarent, quam Micheæ, qui bene. Itaque hoc animadvertis Deus, præmonet suum populum, ne insistat vestigiis multitudinis, *Exod. 23. 2.* *Ne insistito vestigiis potentiorum ad mala: neque loquitor de lite, declinando post potentiores ad pervertendum eam.* R A T I O.

Quia homines tales suam sequuntur rationem, quæ iis persuadet, multos non posse errare, ideoque multitudini confidi tuius. In eam sententiam vix non inclinavit servus Elisæi, cum ad multitudinem hostium obstupesceret, ut opus habuerit instructione & erectione. *Elisæi, 2. Reg. 6. 16.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Itaque non semper penes multos est veritas: multitudo non est perpetuum signum boni consilii. Unde consequitur, in Religione amplectenda & sequenda, non esse attendendum ad multitudinem, quam Pontificii falsò faciunt notam veræ Ecclesiæ veritatisque: *Multitudo errantium non parit errori patrocinium.* Multi hic à littore

littore Cretico navim solvere suadebant, sed veritas consilii penes eos non fuit. Annon verò Satanæ Ecclesia semper fuit amplior Christi? certè: multi enim latâ viâ incedunt. Ecclesiæ quarum *Apoc. 2. & 3.* fit mentio, veræ erant, at ex paucis constabant respectu Judæorum & Ethnicorum. Hinc rectè *Just. Mart. Quæst. 1. in Resp. ad Orthodox.* *Quæstio est, quî fit, ut Orthodoxi non sint alii numero pares?* *Resp.* *Dictum est de iis, pauci electi, angusta porta.* Nazianz. in *Orat. contra Arian.*: *Ubi sunt, ait, qui Ecclesiam multitudine definiunt, gregem exiguum aspernantur?* *Hi vulgus habent, nos fidem & doctrinam.* Chrys. *Hom. 26. ad popul. Antioch.* *Quid mihi cum multitudine? malo unum pretiosum lapidem, quam obulos multos.* Hunc parvum gregem solatur Christus, *Luc. 12. 32.*

D E S E C U N D O. V. 12.

Tendebant itaque ad Phœnica, qui portus est Cretæ. Habebant certam intentionem sui consilii.

D O C T R I N A.

Officium cuiuslibet hominis est omnium suarum actionum & laborum certum habere scopum. Ita *Pau-*
lus habebat, concionari Christum, i. Cor. 2. 2.

RATIO I. Quia res feliciùs succedunt. II. Quia hoc est à Deo mandatum, *Eph. 4. 28.* *Qui furabatur, non amplius furetur; sed potius laboret, operando manibus quod bonum sit, ut habeat quod impertiat, cui opus fuerit.*

U s u s C O R R E C T O R I U S.

Quod attendere debent, qui aut otio vitam transi-
gunt, aut nullum certum finem actionum suarum ha-
bent, aut malum. Tales similes sunt navi, quæ à vento
huc atque illuc propelluntur. Scopus autem omnium

actionum nostrarum debet esse, 1. *Gloria Dei*; de qua vide mandatum, 1. Cor. 10. 31. Col. 3. 17. Exemplum habemus in *Paulo*, Phil. 1. 20. Unde omnis gloria successus laborum nostrorum Deo adscribenda: quod fecerunt *Apostoli*, Act. 14. 27. & 15. 4. 2. *Aedificatio* proximorum nostrorum. Hunc finem Deus ipse *Jeremiæ* propoluimus, 6. 1. v. 10. Imò omnibus aliis, c. 12. v. 16. Rom. 14. 19. & 15. v. 2. Præeunt suo exemplo nobis *Apostoli*, 2. Cor. 12. 19. & *Theſſalonicenses*, 1. Epift. 5. 11. *Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate singulos singuli, sicut & facitis.*

D E T E R T I O . vers. 13.

Quo successu navigatum? Principiò equidem satis feliciter. Nam quum ventus Meridionalis spiraret, ex voto perrexerunt, ut bonam spem conciperent propositum eorum optimum finem fortitum. Malum erat consilium, & tamen à principio non malus fuit successus: sed finis demum luctuosus: de quo in sequentibus habebimus.

D O C T R I N A .

Quanquam hominibus carnalibus, consiliumque Dei non sequentibus, prima fronte ex animo succedit, tamen finis ipsorum infelix & miserrimus esse solet. Non aliter cum iis comparatum est quam cum his nauitis; qui primùm quidem secundo navigant vento, sed postea faciunt naufragium. Hoc innuitur Prov. 1. v. 32. *Quies fatuorum interficiet eos, & tranquillitas stolidorum perdet eos.* Exempla vide in *Abimelecho*, *Judic.* 9. 50. 55. in *Absolone*, 2. *Sam.* 15. 8. & 18. 9. in *Achitophele*, 2. *Sam.* 16. 21. 23. & 2. *Sam.* 17. 23. in *filio prodigo*, *Luc.* 15. 13. & 17. 18.

R A T I O 1. *Quia hæc est fraus Satanae, qua homines*

nes decipit, dum principia peccatorum felicia facit, ut eos eo facilius pelliciat. Sic decepturus primos nostros parentes, fecit ut eis pomum videretur pulchrum & gratum, Gen. 3. 6. Quum tamen nos de fine dicere possimus, dentes filiorum obstupefunt, Ezech. 18. 2. *Judæ Iscaricæ*, ut Christi prodictionem facilius persuaderet, de meliore nota commendavit triginta aureos, Matth. 26. 15. Cujus prodictionis exitus describitur, Act. 1. 18. *Franciscum* verò spiram quomodo honoribus hujus mundi deceperit, vulgo notum est, Sleid. lib. 21. Ita decepit etiam, & adhuc decipit omnes peccatores, Adulteros, Ebrios, Scortatores, Usurarios, &c. Quo circa recte Cypr. Tract. 3 de *Prælat. Simpl.* ait: *Diabolus dictus serpens, quia cum latenter obrepit per paci imaginem fallens, occultus accessibus serpit (unde nomen serpentis habet.) Ea est ejus astutia, ea est circumveniendi homines cæca & latebrosa fallacia, ut afferere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi.*

R A T I O N I I. Quia peccati non potest esse nisi malus exitus, uti pronunciat Paulus Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors.* Nam etiamsi Deus hic non puniat, tamen punit eos in futuro seculo, teste Apostolo, 2. Thess. 1. 6. 7.

U S U S I N S T I T . & D E H O R T .

Quum ergo impios florere videmus, caveamus quicquam de iis temerè pronunciare, sed finem expectemus. In tragœdiis ex Prologo & uno alterōve Actu non deprehenditur Poëtæ virtus, sed finis totius fabulæ est expectandus. Ita si quis velit de statua judicium facere, dum tantummodo genua aut crus attendit, facile decipic-

cipietur, oportet enim brachia, humeros, latera & totius corporis harmoniam considerare. Eodem modo nos exitum illorum præstolemur. Et quia horrendus manet omnes impoenitentes peccatores interitus, quis ergo eorum felicitatem aut optet? aut eam iis invideat? quandoquidem temporaria est, teste *Davide*, Psalm. 37. 1. 2. 9. 10. Nam sunt porcis saginatis similes. Exemplum est in utróque divite, *Luc.* 12. & 16. Demus ergo operam, ne à Diabolo seducamur: peccatis nec in principio indulgeamus. Nam quò dulcius yideri possit, ecce amarior sequitur finis. Peccatum enim initio sumpto nisi statim prohibeatur, tanto procurrerit impetu, ut contineri nequeat: non secus quam ferocientes equi, qui fræno ex ore ejecto & ascensore excusso, molesti primùm sunt occurrentibus, dein nullo obstante ab excelsa petra se præcipitant. *Chrysost. cont. Gentil.* Proinde verè dictum est:

Principiis obsta, serò medicina paratur:

Cum mala per longas invaluere moras.

Quid ergo? Avarus putat sc̄e perpetuò fore felicem? Atqui eum expectat fletus & ejulatio: Vide *Jac. 5. 1. 2. 3.* Imò interitus, teste *Johanne 1. Epist. 2. 16. 17.* Quoties igitur Satan vult nos pellicere ad mala, repellamus eum verbis Christi, abi Satana, *Matth. 4. 10.* Ac ne in initio quidem quicquam ei concedamus. Estenim cani similis, qui si viderit hominem vescentem, & subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projicientem, manet assidue: quod si semel atque iterum sic astitit, ut discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui jam frustra & incassum assistat. Ita & Diabolus. Quemadmodum verò impiorum consortia, si cum iis perire nolu-

nolumus, sunt fugienda, qui sunt personæ in Tragœdia: ita piorum, qui sunt personæ in Comœdia, sunt sequenda. Nam ut illorum finis tristis; ita horum est latus, uti apparet ex sermone ipsius Dei, *Esa. 65. u. 16.*

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S VI.

Textus. Acto. 27.

14. *Verum haud multo post impegit in eam ventus turbulentus, qui vocatur Euroclydon.*
15. *Quumque abreptum esset navigium, nec posset obniti vento, dato ventis navigio ferebamur.*
16. *Et quum infra parvā quandā insulā, quae Claudiā vocatur, cursu delati essemus, vix valuimus scaphæ compotes fieri.*
17. *Qua subducta adjumentis utebantur succincta navi: metuentésque ne in Syrtin exciderent, dimissis velis, ita se rebantur.*

E X E G E S I S.

HACTENUS dictum est non tantum de spreto Pauli consilio, sed etiam quomodo successerit ulterior navigatio. Satis feliciter in principio. Deinde vero infelicissimè, quod partim his verbis describitur, partim sequentibus. Hic habemus initia luctuosissimi Paulini naufragii: vel periculosam ejus navigationem. Et quidem ejus

1. Causam. 2. Partes. 3. Quid interim in illo periculo egerint?

D E P R I M O. V. 14.

Causa hujus tam pericolosæ navigationis erat vehe-
mens

mens & impetuosus ventus, qui navim abreptam huc atque illuc pro suo furore jactabat. Ventus erat Euroclydon vel Cæcias, qui flat ab Ortu brumali, & à Plinio pestis navigantium vocatur. In quos enim irruit, rari sunt qui non faciant naufragium. Ab Aristotele ita flaire dicitur, non ut nubes propellat, sed ut ad se vocet. Dicitur autem in eos non multo post incidisse; id est, postquam utcunque ex animo navigarent: breve sanctum gaudium erat.

D O C T R I N A.

Inconstans est felicitas eorum, qui voluntatem Dei non sequuntur. Exempla sunt hi nautæ. Testimonia legi: Job 20.4.—9. Psal. 37. v. 2. 10. 35. 36. Ita hodie Nabuchodonosor in palatio superbit, cras cum bestiis agri ejus habitatio, Dan. 4. 15. Hodie convivatur Balthasar, sed eadem nocte interficitur, Dan. 5. 40. Herodi acclamat populus, vox Dei & non hominis, sed illicè cum percutit Angelus Domini, Act. 12. 22. 23. Hodie Crœsus habetur pro felicissimo, cras jacebit in frue lignorum comburendus. Filius Persæ Regis Macedonum ultimi factus est scriba Senatus Romani. Huc optimo jure potest referri etiam exemplum Hamanis, Esther. 7.

RATIO I. Quia illi ipsi impii homines inconstantes sunt & mortales; sunt ut bulla, ventus & fumus citò transentes. Quomodo ergo voluptas & felicitas eorum posset esse diuturna? Inconstantiam eorum descriptam pete ex Psal. 9. v. 5. 9.

II. Quia illorum felicitas malum habet fundatum, nimisrum, mundum, qui præterit, ut Apostolus testatur, 1. Joh. 2. 16. & 1. Cor. 7. 31. Ubi Paulus rectè dicit schema;

ma; quod omnia mundana potius figura, specie ac umbra constent, quam solidæ naturæ existant. Vera autem & solida felicitas consistit in Deo & fide in Jesum Christum, cum charitate non simulata.

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Hoc attendatis in primis vos divites, voluptatibus dediti, &c. ne ponatis fiduciam in illis rebus, juxta hortationem Davidis, Psal. 62. 11. *Ne confidatis oppressioni, & rapina ne evanescatis; opulentia si abundet, ne apponatis animum.* Quam citò Sol etiam clarissimus à nubecula obnubilatur, & folium leviculo vento ab arbore decidit? Quid fortunā ut putas prosperā & vitro, quæ pari ambulant passū, fragilius? Quid ergo honore & pompa superbis mundanā? bulla est: aut divitiis? tātūm sūt metalla: aut vestib⁹? sunt aut lana oviū, aut vermiū excremēta. Humilitati potius & Christianæ modestiæ stude, semp̄que cogita, etiam maximam felicitatem tuā esse inconstantem; idēmque tibi quod aliis accidit evenire posse; quoties infortunium aliquod tanquam Cæcias mala secum trahens res tuas turbabit. Ad ejsmodi humilitatem, vide hortationem, 1. Sam. 2. 3. Psal. 75. 6. 7. 8. Desume ab aulæis Tragediarum similitudinem, quæ statim ut mutantur, prorsus diversissima fiunt; quæ fuit ante domus Regia, pastorum mox tugurium fiet.

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Fideles verò eo se erigant in persecutionibus, brevem esse tyrannorum furorem, ideoque non extimescendum, secundum hortationem Davidis, Psal. 49. 17. Athanasius in persecutione Juliani Apostatae ita suos auditores consolabatur: *Bono animo esflete filoli, nubecula*

est, citò transibit & evanescet. Multi hodie sūt Juliani, i. m. Nerones, &c. sed ad breve tempus. In hanc rem Apostolus, i. Pet. i. 6. 7. verè ait; sunt enim illi ut flos & grāmen. At veniet illud tempus quo dicemus ex Psalmo 37. v. 35. 36. Vidi improbum magna vi erumpentem, & sese explicantem tanquam arbor indigena virens. Deinde præteriit, & ecce non erat amplius: nam quæsivi eum, sed non inventus est. Quod faciet vel removendo tales Ecclesiæ persequutores: vel voluntates eorum ita immutando, ut ex hostibus fiant amici; vel objiciendo impedimenta ne possint perficere quod volunt; vel tranquilitatem Ecclesiæ procurando; vel fideles ex hac misericordiarum valle in patriam coelestem transferendo. Patientia modo opus est & precibus.

D E S E C U N D O . v. 15. 16.

Jam sequitur ipsius periculi particularis descriptio, v. 15. 16. Ubi est, 1. quòd abreptum esset navigium eo quò minus illi vellent. 2. quòd non posset resistere vento turbulentō & impetuoso. 3. quòd dato navigio ventis, ferrentur, non quò vellent, sed quò ventus propeleret. 4. quòd vix potuissent scapham retinere; tanè multa simul & semel mala.

D O C T R I N A I.

Atque hæc ferè est conditio humana, ut cui infortunium aliquod accidit, plura secum mala trahat; quod præcipue de fidelibus verum est: proinde benè dicitur, Nullam calamitatem esse solam. Huc pertinet dictum Psal. 34. 20. Multæ sunt afflictiones justi. & Act. 14. 22. Idem apparet ex exemplis. Joseph non habet gratiam apud fratres: tunica spoliatur: in cisternam dejicitur: venditur

in Ægyptum

in Ægyptum: in carcerem detruditur, *Gen. 37. 23. 24. 28.*
Salvator noster non tantum cruci affixus fuit, sed & illu-
sus, Matth. 27. 39. prout conqueritur, *Psal. 22. 8. 14. 19.* Mu-
lier Cananæa satis erat afflita ob filiam suam dæmonia-
cam, nisi Christus semel & iterum eam repulisset,
Matth. 15. v. 24. 26.

R A T I O I. *Quia plerumque quò fortuna, eò se*
favor hominum inclinat; quod expertus est David, ideo-
que conqueritur, Psal. 41. 10.

II. *Quia res humanæ inter se concatenatae sunt mi-*
ro modo, ut dato uno inconvenienti plura sequantur,
quod similitudine à catena desumpta egregiè illustrari
poteſt.

U S U S I N S T I T U T O R I U S.

Ne miremur ergo, si quando pluribus obruimur ca-
lamitatibus: mare est hic mundus, in quo abyssus aby-
ſū inclamat, ac fluctus afflictionum undæque persequun-
tionum supernostre transeunt, *Psal. 42. 8.* Quin potius ad
omnia simus parati: ad excipiendam calumniam, per-
sequitionem tolerandam, sustinendam paupertatem
& morbum, &c. Desumamus exemplum ab arbore,
quæ sive pluat, sive ventus eam quatiat, sive grando, im-
ber infestet, tamen consistit firmiter. Et *caveamus* ne
simus dom⁹ in arena fundata, sed in petra, ut Christ⁹ mo-
net, *Matth. 7. sub fine.* Quod eò facilius assequi ut valea-
mus, ut amur Christiana prudentia. Nam Diabolus mil-
le est artifex: si uno modo à Deo abducere nequit, ten-
tat alio. Petrus Apostolus paratus quidem fuit vim ho-
stium Christi sustinere; at tentationi abnegationis Chri-
sti succubuit. Inter ea hæc sit nostra consolatio, quod

quod quis plura in corpore suo stigmata Iesu Christi portat cum Paulo, Gal. 6. v. 17. eò clariora & certiora suæ cum eodem communionis habet testimonia. Et quod hæ afflictiones licet multæ simul sint, tamen non sunt pares illi futuræ gloriæ, teste Paulo, Rom. 8. v. 18. Quod egregiè expressit August. cap. 15. sui Manual. O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferrere, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, & sanctis ejus sociari: nonne dignum esset, pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidentur ergo dæmones; parent suæ tentationes; frangant corpus jejunia; premant carnem vestimenta; labores gravent; vigiliæ exsiccant; clamet in me iste; inquietet me ille velille; frigus incurvat; conscientia murmuret; calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus; pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossa mea & subter me scateat: ut modo requiescam in die tribulacionis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

DOCTRINA II.

Exemplum Divinæ potentiae & humanæ imbecillitatis nobis hic proponitur. Certè Deus potest minima quaque re hominem compescere, imò in nihil redigere. Vento tot homines resistere non valent, inopes consilii & auxilii; dato ei navigio feruntur, qui voluntati Dei non obtemperarunt. Probè id consideravit Moyses: Domine, redigi mortalem eo usque ut sit contritus; dicens, revertimini filii hominum, Psal. 90. 3. Exemplum est in Ægyptiis in mari rubro suffocatis, Exod. 14. v. 27. 28. in Jona, 6. 1. v. 13. 14. in Herode à vermis corroso,

Act 12.23. in classe Hispanica maxima, quæ in Anglia ventis mirabiliter fuit disjecta, anno 1588.

R A T I O I. Quia Deus est omnipotens, Dominus absolutus, ei omnia ad nutum sunt composita. Unde David cum ait facere quicquid placet, Psal. 115. 3. Psal. 50. v. 10. 11. Quod Centurio ille Matth. 8. v 9. de se dixit, hoc nos potiore jure possimus dicere de Deo. *Huic enim mare & venti auscultant, Matth. 8. v. 27.*

II. Quia magna est nostra fragilitas, pulvis & terra imò umbra sumus. Non ergo multis & laboriosis opus est rebus ad pùlverem dispellendum & terram compactam conterendam; Psal. 103. v. 14.

III. Quia in ipso vivimus, movemur & sumus: uti testatur Paulus, Act. 17. 25. 28. Hebr. 1. 3. Proinde à Scholasticis non malè rerum sustentatio dicta est continua creatio. Ad debellandum ergo homines non opus ille habet multis, sed si subtrahat manum potentiae & misericordiae suæ; actum est de nobis.

U s u s I. C O R R E C T O R I U S.

Itaque hæc considerate vos omnes impenitentes peccatores, tyranni & Ecclesiae Dei persequutores potentes. Abstinete à peccatis; nam leviuscula re compescemini: desistite persequi fidèles, quia contra Deum insurgitis. Deus verò vel *vento* vos disperget, vel *verme* conficiet. *Omnia* ei militant; *Terra* quæ absorpsit *Abironem*; *aer & lapides*, Jos. 10. v. 11. *Venti, ignis, angelis boni, mali, arbores, &c.* Omnia hæc sunt ejus gladii, hastæ, balistæ, sclopeta, vide Psal. 7. 13. 14.

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Prout verò ista impios terrent, ita piis maximæ in-

serviunt consolationi. Nam licet in summis angustiis nulla media liberationis videamus, tamen animus non est abjiciendus; quia Deus nullo negotio potest libera-re. Hoc se solatur *Jonathan* inquiens, *non est Jehovah impedimentum, quin servet multis aut paucis, 1.Sam 14.7.* Sæ-viant in Ecclesiam vel maximè tyranni, compescet eos re exigua. Norat hoc *David*, *Psal.58 2.3.* Furias excitent, Deus ridet, *Psal.2.v 1.2.3.* Et quum maximè se rem suam promovere putant, pereunt. Insigne *exemplum* recitat *Paul. Diac. lib. 12.* Nam *Theodosio Augusto* satis parva manu cum *Arbogasto Franco & Eugenio* conserenti, tempe-stas repente cœlo immissa opitulata est, tanta ventorum mole à tergo suo in hostium oculos atque acies, ut tela ab iis ipsis emissar ectorqueret, ictusque eorum frustra-retur, retroversumque terga uti darent cogeret. Hinc Poëta *Claudianus*:

*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas acies: cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.*

D E T E R T I O . vers. 17.

Quid verò egerunt in tanto periculo constituti? Re-spondet *Lucas v. 17.* Adjumentis utebantur, *hoc est*, suc-cinxerunt navim funibus, catenis, præsertim proram, ne tam facilè solveretur: adhæc vela demiserunt, ut tar-diùs procederet. In summa, licet in desperatis essent casibus, tamen omnia adhibebant media ad conservan-dam salutem suam.

D O C T R I N A.

Media licita si haberi possunt, etiam in maximis periculis adhibenda sunt. *Exemplum* habemus non tan-tum

tum hic, sed etiam in Ezechia, 2. Reg. 20. 7. in Christo, qui cum posset sine navibus maria transire, tamen iis utebatur, Matth. 8. 23. Nec se voluit ex pinnaculo templi deji-
cere, cum posset per gradus descendere, Matth. 4. 5. 6. 7.

R A T I O I . Quia qui hoc non faciunt, tentant Deum; quod severè est prohibitum, Matth. 5. 7. Unde rectè au-
gust. Si quis periculum in quantum caveri potest, non cave-
ret; magis Deum tentaret, quam in Deum speraret.

I I . Quia certò nescimus annon liberaturus nos est Deus. Non enim statim ad primum periculum despe-
randum est. Isti tam propè viderunt lethum, quam e-
rant propè aquam: attamen non desperaverant: sed usi-
sunt mediis legitimis.

U s u s I . C O R R E C T O R I U s .

Unde apparet eos insipientes esse, qui omnia in Dei
decreta rejicunt, ea mente, quasi hæc & alia obtenturi
sint sine labore & mediis. Certè Deus nunquam ex-
cludit media. Promisit ex malis eliberationem, sed jus-
sit se invocare. Nam ait, simul ac invocaverit me, exau-
diam eum, Psal. 91. 15. Promisit vitam aeternam, sed fidem
& pietatem mandavit. Pietas enim ad omnia utilis est, &
habet promissionem hujus & futuræ vite, 1. Tim. 4. 8.

U s u s II . I N S T I T U T O R I U s .

Nos, licet videri possit media jam non valere, tamen
ea non abjiciamus. Exemplam in vinitoribus, Luc. 13. 8.
Sic nos in cruce, egestate, morbo, calamitate oremus
& laboremus, &c.

HYPOTYPOSIS CONCIONIS VII.

Textus. Acto 27.

18. *Quum autem vehementi tempestate jactaremur, sequenti die jacturam fecerunt.*
19. *Ac tertio die ipsi nostris manibus armamenta navis abjecimus.*
20. *Quum autem neque Sol neque sidera apparerent ad complures dies, & tempestas non parva incumberet, ablata in posterum spes omnis erat salutis nostræ.*

EXEGESIS.

PRæcedente Concione vidimus periculosam Pauli navigationem ad Crætam primò: cuius efficiens causa fuit *ventus Typhonicus*: deinde ad insulam Claudam, cuius causa fuit *locus* quidam periculosus, v. 17. Pergit S. Lucas in descriptione ejusdem periculi, atque maximum fuisse exaggerat à Consequentibus. Sunt autem tria consequita, quæ summum eoru fuisse periculum arguunt.

1. *Jactura mercium.*
2. *Jactura armamentorum.*
3. *Desperatio viræ.*

D E P R I M O. V. 18.

In quo versu duo habemus: 1. *Causam jacturæ.*
2. *Jacturam ipsam.*

Quod PRIMUS attinet; ea fuit vehementis tempestas, quæ navim huc atque illuc jactabat, quo siebat, ut periculum esset, ne res vectæ navim concuterent frangérantque. Ita consultum videbatur eam ejectione mercium leviorera facere. Et licet forte non nemo jacturam

ram mercium suarum doleret, quia tamen summa instabat necessitas, tempestate marinæ obediebat quilibet.

D O C T R I N A .

Unde videmus, Quod sæpenumero hominem oportet obedientiam præstare eis rebus, quibus ipse imperare debuerat. Exemplo sunt hi, qui marinæ aquæ obtemperant, cum tamen homo creatus esset Dominus omnium rerum, *Psal. 8.7.8.9.* Et quid vilius ranis, pediculis, cimicibus, muscis esse potest, quibus tamen Ægyptii resistere non valebant, *Exod 8.9.10.* Exemplum hujus rei habemus etiam *2.Sam. 21.* ubi Deus Davidi minatur dicens: *Ecce ego suscitatus sum contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos, tradam proximo tuo; qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto Sole.*

R A T I O I . At querat aliquis, unde hoc est? Resp. Inde, quod homo dominium illud à Deo in creatione sibi in mare & terram datum, *Gen. 1. 27. & 9. 2.* majori ex parte amisit. Et amisit quidem propter inobedientiam, qua contra Deum suum prævaricatus fuit. Non immetitò ergo simili poena afficitur. Quo enim quis peccat, eodē punitur. Unde *Theod. Ep. ser. 3.* non male: *Nō immetitò reluctantur hominibus bestiæ, cum ipsi Deo suo rebellis sint, cui Sol, Luna, stellæ obediunt; mare non transfit fines suos, cum tamen non habeat legem ut homines in tabulis scriptam: sed sicut equus freno retrahitur, ita mare ne abundet.* Ex parte tamen dico; non totum amisit dominium: inde enim hoc est, ut crudeles & ferocissimæ etiam bestiæ, vel hominum frequentiam fugiant, abdentes se in sylvas & deserta: vel in hominem incidentes tamen ab eo lædendo abstineant.

II. Quia bestiæ & bruta animantia sœpe propter peccata nostra justo Dei judicio contra homines armantur. Atque hinc est, quod Deus id ipsum sœpiusculè comminetur: ut *Lev. 26.22. Deut. 32.24. Jer. 5.6.* Exemplum habemus in *viro* Dei à leone discerpto, *1 Reg. 13.24.25.* & *2. Reg. 2. v. 24.* in quadraginta duobus pueris à duabus ursis discissis.

U s u s I. D E H O R T A T O R I U S.

Quod eo inservit, ut nemo ergo vitibus, si quas habet, suis, potentiaque confidat, eaque superbiat, aut se supra alios eos contemnendos efferat; siquidem jam ostensum est, facile fieri posse, ut qui hodie imperas, cras vilissimæ cuique rei necesse habeas obedire. *Hamān ab Estherā*, cuius exitium superbissime procurabat, suspendi curatur, *Esther. 7.10.*

U s u s II. I N S T I T U T I O N I S.

Quoties bruta animantia etiam videmus nobis esse obedientia, toties bonitatis Dei summæ grati recordemur, per quam hoc fit, ut in illa tanta polleamus auctoritate: Si quando verò nobis repugnant, agnoscamus Dei iram & ultionem ob peccata, ideoque in vera poenitentia mox ad eum redeamus.

U s u s III. H O R T A T O R I U S.

Maneamus in timore Dei, ne quando puniat nos, ut illis, qui nobis obeditunt, obtemperandum sit. Levissima enim quaque re Deus nos debellare potest. *Aqua*, ut primum mundum & *Egyptios*; *Igne*, ut *Sodomam*; *Tempestate maris*, uti hoc loco nautas nostros; *Muribus*, uti Popielum II. Polonorum Principem, qui ab illis cū conju-

coniuge & liberis devoratus est; item Hattonem Episcopum quendam Moguntinum. *Canibus*, à quibus Boleslaus II. Princeps Poloniae scribitur esse dilaniatus.

Quod ALTERUM attinet, de ipsa jactura Lucas inquit; *sequente die jacturam fecimus*. Ejecerunt reculas suas, sarcinas & merces alias, res charissimas etiam. Ejecerunt illi ipsi, qui paulò ante adeo delicati erant, ut Latæ hybernare nolent ob incommodiorem portum: illi jam ipsi necessaria & sibi gratissima, quo vitam conservarent, ejecerunt.

D O C T R I N A.

Non raro accidit, ut illi qui propter Deū nihil pati aut amittere volunt, tandem omnia perdant, nonnunquam etiam vitam ipsam. Cujus rei in his nautis habemus exemplum. Ita etiam populus *Israëliticus* noluit ferre famem cœnæ aliquamdiu: simul postea & vita privatus est, *Num. ii. 33.* *Sedechias* recusavit ferre brevem ignominiam ad mandatum Dei, cum aliquo damno; & tamen postea ea omnia in eum inciderunt, *Jer. 38. 17.* Confer *c. 39. 6. 7. 8.* Idem apparet in *Nab. 1. 1. Sam. 25. v. 10. 11. 37. 38.* In servo ignavo, qui amisit talentum, quia laborem impendere non fuit dignatus, *Matth. 25. v. 26. 27. 28.* Sic *hodie*, qui ob Euangelium in exilium ire recusant, ne sua bona deferere cogantur, multi ea amittunt & vitam nonnunquam. *Illa per tyrannidem contributiones*, ut rectè dicitur: *Quod non capit Christus, rapit fiscus*; per *ereptionem militum*, secundum illud: *Dabis iniquo militi, quod non vis dare sacerdoti*. Hanc, *eternam* primùm, per abnegationem doctrinæ veræ; juxta testimonium Christi, *Marc. 8. 35.* Deinde, aliquando *temporalem* quoque.

RATIO I. Quia tales contumelia afficiunt Deum, contemnentes ejus voluntatem, ideoque justè à Deo puniuntur; prout minatur, *1. Sam. 2. 30.* Exemplum est in Sacerdotibus Judæorum, *Oseæ 4. v. 6.*

II. Quia quibus rebus Deus non benedicit, non possunt non perire. At iis qui benedicat, quorum nos pœnitent in usus Dei insumere?

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Nemo ergo putet se posse aut honorem suum tueri, aut divitias conservare per detractionem obedientiæ mandatis Dei debitæ; imò verò qui ea cupis tutæ, Deo obtempera maturè, & ejus causa *omnia* desere, Exemplo Apostolorum, *Matth. 19. 27. 28. 29.* Etiam vitam ipsam, & inveneries æternam, juxta promissionem Domini, *Marc. 8. v. 35.* An non Abraham patriam reliquit, ut terram promissam obtineret? *Moyses* verò Ægyptiorum thesauros deseruit, ut æternæ retributionis particeps fieret. Unde præclarum obtinuit encomium, *Heb. 11. 25. 26. 27.*

D E S C U M D O . v. 19.

Quantum fuerit periculum vel ex eo patet, quod non tantum ea ejicere fuerint adacti, quibus non adeo necessariò indigebant, sed etiam quibus vel maximè, nempe armamenta, vela, restes, malos, remigia & alia. Sanè gravis pœna. Nam magnum commiserant peccatum, non obediendo voluntati Divinæ.

D O C T R I N A.

Qui gravia committunt peccata, graviter etiam puniuntur. Hi contempserant consilium Dei per Paulum oblatum; ideoque non satis fuit adversis navigasse ventis, nec tardius procedere, nec tempestate jactari, neque jactu-

jacturam facere, sed necesse erat etiam ipsa armamenta navis suis manibus ejicere; ut inde discerent, quanti sceleris sit voluntati Divinæ non acquiescere. Hoc ostendit Christus quoque dum ait: *Ille servus qui novit voluntatem Domini sui & neque se comparavit: neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagiis, Luc. 12. 47.* Hinc illæ comminationes Divinæ leguntur, *Jer. 16. 18. & 17. 18. Lev. 26. 18. 21.* Gravis hujus poenæ exemplum est in Judæis, *Esa. 40. v. 2.*

R A T I O. Quia justitia hoc requirit; jam verò num gravius quid committi potest, quam voluntatis Divinæ transgressio? Ejus nempe qui absolutum Dominium in eos obtinet, qui infinitus est, creator & benefactor noster. Nos verò ejus creaturæ, servi, liberi, &c.

U s u s D E H O R T A T O R I U s.

Omnia ergo peccata caveamus, quia pugnant contra Dei voluntatem, & gravissimè puniuntur. Nec ullum esse potest sine poena. Hinc Aug. in Psal. 44. *Converte te ad punienda peccata, quia impunita peccata esse non possunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso.* Tu agnoscet ut ille ignorat. Hinc etiam Job. 9. v. 28. idem testatur. Imò hanc ob causam Scriptura S. non raro conjungit peccatum cum poena; ut, 2. Reg. 13. v. 1. 2. 3.

Objec̄t. Multa scelera impunita videmus. Resp. Deus punit aut hic aut in altera vita. Quod hic puniat saepius, testis est *Primus mundus, Sodoma, Ægyptii, Saul, Absalon, &c.* Quod si verò aliquando impii non videantur puniri, aut æternis poenis tales reservantur; aut Deus ea ipsa longanimitate eos ad pœnitentiam invitat; juxta testimonium, Rom. 2. versib. 4. 5. 6. Qui ergo timet, ne

graviter à Deo puniatur, mature ad Deum se convertat.

D E T E R T I O . V . 20.

Etiam hoc ad exaggerandam periculi magnitudinem pertinet. Tantum abest ut mare componeretur, ut prius tempestatis furor in dies magis magisque cresceret. Tristissima sanè talis navigatio, si de die contingat; at quid dicemus de iis qui per complures dies in tenebris sine Sole, sine astris periclitabantur? Perfectò *ablatam fuisse in posterum omnem spem salutis eorum.* Ubi notandum, Lucam se & Paulum aliósque fideles quoque includere,

D O C T R I N A.

Solet Deus nonnunquam hominibus etiam pīis adeò graveis immittere afflictiones, ut spem ferè liberationis temporalis amittant. Exemplum est in his, v. 20. in *Judæis, Thren. Jer. 3.18.19.* Periit robur meum & spes mea à *Iehova.* Recordando afflictionis meæ & ploratus mei absinthii & cicuta. In *Apostolis, 2.Cor. 1. v. 8.9.* Tunc dicere solent cum *Jobo, cap. 19. v.8.9.10.11.12.* Idem apparet in *Davide, Psal. 31. v. 23.* & alibi.

R A T I O I. Ut præscindat occasionem confidendi in mediis vel hominibus. Ferè enim ita tractat eos, qui plusquam pars est mediis fidunt; ideoque iis etiam minatur, *Esa. 20.5.6.* Ita perterfacti erubescunt, ab *Aethiopibus exspectatione sua, & ab Egyptiis gloriatione sua.* Et dicit *incola regionis istius tempore illo:* Ecce ita habet exspectatio nostra, quo configiebamus ad auxilium, ut eriperemur à conspectu Regis *Affiriae:* & quomodo evaderemus nos?

II. Quia scit hominem ita sibi placere, ut non prius Deum esse suum liberatorem, quam luce clarius videbit, fateatur.

III. Ut

III. Ut inde Dei major gloria, & misericordia erga liberatos appareat, quibus adfuit in rebus (ipsorum conscientia) desperatis. Quod ut evidentius sit, *Different momentum liberationis, ad momentum desperationis.* Potuit efficere, ne tres illi juvenes in fornacem dejicerentur, aut ne *Petrus* incarceraretur; tamen ut gloria illa manifestior fieret & misericordia, illos in igne salvos conservavit, & Petrum ante ipsam horam mortis vinculis liberavit, *Act. 12. 6.*

U s u s I. I N S T I T U T O R I U S.

Demus operam ut hunc Deum amicum nobis habeamus, qui in tali casu nos non deserat. Adeo enim magna est humana imbecillitas, ut nisi ille adfuit, statim in dubitationem & desperationem incidat. Recte sanctissimus Christi Martyr, *Anna Burgeus* rogo impositus, aliquoties auditus est haec verba pronunciare: *Deus mi ne me derelinquas, ne ego te derelinquam.* *Thuan. libr. 16.* Caveamus etiam, ne temptationibus pressos condemnemus, nec imitemur *Eliphaz Jobum* condemnantem, *Job. 22. v. 5. -- 12.* Quandoquidem id sanctissimis etiam viris accidere solet.

U s u s II. E X H O R T A T O R I U S.

Hoc excitet in nobis etiam patientiam & spem, in maximis quibuscque angustiis; etsi ambulandum nobis sit in valle mortis, ne timeamus, cum *Davide Psal. 23. 4.* Etiam si morte nos afficiat; tamen speremus, cum *Jobo, c. 13. v. 15.* quia potest liberare & promisit. Etiam si in sepulchrum sit descendendum; nam ille ad inferos demittit & inde reducit, *I Sam. 2. 6.* Ne dicamus cum ossibus Israëlitarum: *Aruerunt ossa nostra, & periret expectatio nostra.*

H Y P O T Y P O S I S

nostra; succisi sumus quoad nos, Ezech. 37.11. Ita n. Deus ad hæc respondet *ibid.* v.12. Ecce ego aperiens sepulchra vestra, deducam vos è sepulchris vestris, popule mi. Aut cum non videmus media, ne dicamus cum illo Principe, 2. Reg. 6. v.35. Si Jehova ficeret cataraetas in cœlis, an possit esse res istas ne nobis respondeatur *ibid.* 35. Ecce vos id visuri estis oculis vestris, sed ex eo non estis esuri. Quin potius hæc sit vox nostra, quam habet Propheta Abacuk 6.3. 17. 18. 19.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S V I I I .

Textus. Actor. 27.

21. Et quum multa jam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, mihi ab initio obediendo non provehiri à Creta, & vitare injuriam hanc & damnum.
22. Sed nunc adhortor vos, ut bono animo sitis: amissio enim nulla erit cuiusquam ex vobis, sed tantum navis.

E X E G E S I S .

Hactenus vidimus ea, quæ in summo illo periculo marino gesta fuerunt communiter ab omnibus: jam sequitur quid in primis Paulus egerit; quod hisce versibus habemus; Itaque hic describitur,

Pauli Oratio marina ad comites suos habita. Ubi nota, 1. Tempus, quo habita. 2. Ejus partes.

D E P R I O R I . v. 21.

Ergo post multam inediā sive jejunium. Abstinuerunt verò tam diu à cibo & potu, sive quod periculum illud & metus naufragii appetitum ademisset, ut fieri assoleret

assoleat tum, quum homo *Eft prope tam lethum, quam propè cernit aquam:* sive quod laboribus nauticis omnes occupati, cibum capere non possent; sive de industria, ut magis idonei ad preces fundendas, quibus tam tristem averterent cladem, redderentur.

D O C T R I N A .

In calamitatibus tam publicis quam privatis, licitum est, cum per alia media tum per jejuniū quærere Deum, ejusque iram placare; Exempla Pauli & aliorum fidelium. Est autem *Jejunium abstinentia non quotundam tantum ciborum, sed omnis cibi & potus ad certum tempus, ut carnis lascivia retundatur, & Deus ardentiū à nobis colatur.* Exempla Publici jejunii, Israëlitæ, 1. Sam. 7. 5. David & subditi ejus, 2. Sam. 1. v. 11. 12. Judæi intellecto edicto Ahasveri, Esth. 4. 3. Ninivitæ, Jon. 3. 6. Achab, 1. Reg. 21. 27. Privati; Daniel, c. 9. 3. David, 2. Sam. 3. 35. & 12. 16. Nehemias, c. 1. 4.

RATIO. I. Quia est signum humilationis coram Deo. Exemplum habes in Achabo, 1. Reg. 21. v. 27. 28. 29.

II. Quia est adminiculum precum: ut videre est in Anna matre Samuelis. 1. Sam. 1. 7. & vidua, Luc. 2. 37. & Apostoli, Act. 14. 23. Ideoque Deus conqueritur de iis, qui alium in finem jejuniū instituunt, Esa 53. 4.

III. Quia est à Deo mandatum, Joël. 1. v. 14.

U s u s I. C O R R E C T O R I U S .

Pudeat itaque Epicuræos quosdam, qui nullis peccatis, nullis afflictionibus, nec publicis nec privatis afficiuntur; verum non secus atque porci continuò deliciis saturantur: etiam si jam lanio divinæ poenæ adsit; aut quemadmodum Jonas in maximo vitæ sua periculo securè

securè in utrámque dormiebat aurem ; ita illi non invenitur quicquam. Sed sciendum est, Deum tales securitatem graviter reprehendere, horrendasque pœnas ejusmodi Epicuri de grege porcis denunciare ; uti patet in populo Judaico, *Esa. 22. 12. 13. 14.*

U s u s II. I N S T I T U T O R I T I S.

Itaque quotiescumque calamitas aliqua nobis ingruit , toties precationibus nostris jejunium adjungamus. Bona enim est res oratio cum jejunio. Non erit absque fructu : hi in vita conservati : Ninive in suo flore : nam hoc ipsum Deus promittit apud *Zach 8. 19.* Quemadmodum autem jejunium ut utile externum mortificationis exercitium amplectendum , exemplo *Pauli* , *i. Cor. 9. v. 25. 26. 27.* Ita etiam cavendum sedulò , ne illud cultum Dei esse putemus ; Nam regnum Dei non consistit in usu cibi & potus , vel abstinentia , teste Apostolo , *Rom 14. 17. 18.* Aut esse opus quo mereamur æternam vitam , & satisfaciamus pro peccatis : sed adhibeamus illud ut signum pœnitentiæ ac humiliationis ; precūmve sacrarum adminiculum .

D E P O S T E R I O R I.

Partes Orationis S. Pauli duæ sunt ; 1. Reprehensionem habet. 2. Consolationem .

D E R E P R E H E N S I O N E. V. 21.

Hæc reprehensio loco exordii est , ubi causam periculi tacite in nautas rejicit ; arguitque eos male fecisse , quod ejus consilio non obediverint , uti præsens tum periculum confirmabat : simulque ostendit , quid frustus reportassent , si hybernassent in Creta insula .

D e-

DOCTRINA.

Habemus in Paulo imaginem fidelis Pastoris, cuius officium est cum auditores suos, tum alios quosvis proximos arguere inobedientiae & aliorum vitiorum. Potuit eidem Paulus silentio hanc ferre communem calamitatem, & in animo suo reputare ita; siquidem haec mala vobis ipsis peperistis, facite jam quæ vultis; nisi spiritus Christi aliter eum instituisset. Exemplum est quoque in Moysè, qui ulciscitur injuriam fratris sui, *Exod. 2. 13. 14.* Neque Magistratui parcendum; Samuel reprehendit saulem Regem, *1. Sam. 13. 11. 13. & 15. 14.* Nathan Davidem; *2. Sam. 12. 1 - 14.* Elias Achabum; *1. Reg. 18. 18.* Malachias Sacerdotes, *c. 2. 1.* Usque utrōque, *c. 5. 1.*

RATIO I. Quia de eo expressa sunt Dei mandata, *Esa. 58. 1. Lev. 19. 17.* Et si Deus iussit animal proximi oberrans in viam reducere, multò magis fratri idem præstandum, ut monet vel potius iubet Christus, *Matth. 18. 15.*

II. Quia hoc requirit charitas in proximum, ut eum diligamus ut nos ipsos, juxta mandatum, *Matth. 22. 39.*

III. Quia haec est differentia inter veros & falsos Prophetas, nempe reprehensio peccatorum, quod falsi non solent facere; vid. *Jer. 28. 8. Mich. 3. 5. 8.*

USUS I. CORRECTORIUS.

Hoc verò probè notent pastores ii imprimis, qui sunt in hac officii sui parte negligentiores, qui ad peccata populi Dei tacent, uti muti canes: Væ illis Deus denunciat, *Ezech. 13. 18. 19. Jer. 23. 1.* Utinam sæpiùs recordentur esse hoc eis injunctum! Ita Paulus, *1. Cor. 9. 16.* Necessitas mihi incumbit, ut autem mibi nisi evangelizem.

U s u s II. I N S T I T U T I O N I S.

Nos verò ab eis reprehensi ne offendamur: eorum enim hoc est officium, demandatum 2. *Tim. 4.* 2. Ne si-
mus imitatores stultorum, qui impatienter ferunt re-
prehensiones, *Prov. 15.5.* Qui enim castigationes odio
habent, morientur, teste Salomone, *Prov. 15.10.* Quia
potius sequamur Davidem, qui præclarè de se, *Psal. 141.*
v. 5. Ponamus nobis ob oculos utilitatem, quam pro-
ponit Paulus, *Hebr. 12. 11. & seq.* Huc pertinet elegans di-
ctum *Tertull. lib. de Patient.* O servum illum beatum, cuius
emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem ad-
monendi dissimulatione non decipit.

D E C O N S O L A T I O N E. v. 22.

Ubi iterum duo habemus: 1. Ipsam Consolatio-
nem. 2. Ejus Rationem.

Quod PRiu s attinet; *Consolatio* est in verbis: *Sed nunc adhortor vos, ut bono animo sitis.* Invenias nonnullos, qui postquam semel suum consilium contemni videntur, jam amplius consulere recusant, multo minus juvare vel solari. Paulum verò longè aliter fuisse affectum videmus, consolatur, animos addit, immò reddit amissos tristitiam excutit; cum primis iis qui erant inibi fideles; & id quidem facit animo magno ac forti. Mirum in tanto periculo!

D O C T R I N A.

Sed mirari desinemus, observato discrimine inter
pios impiosve, inter fideles & infideles. *Hi* namque
quum mortem ante oculos habent, timent, trepidant,
quid rerum agant planè nescii; uti planum est ex exem-
pli

plō Balthasaris, Dan. 5. 6. & Imperatoris Hadriani, qui moriturus hæc protulit: *Animula, vagula, blandula, Hos-
pes comésque corporis, Quæ nunc abibis in loca? Pallidula, ri-
gida, nudula, Nec, ut soles, dabis jocos.* Pii verò mortem non metuunt, eā imò subeunt intrepidè, animo constati læto, & alios excitante, quod fecit Paulus hoc loco. Hujus animositatis exempla sunt etiam in tribus juvenibus, Dan. 3.17. Paulo, Phil. 1.19.23. Ignatio, qui ad mortē ductus hæc loquebatur: *Dei triticum esse cupio, terique ac moli
dentibus bestiarum, ut Deo mundus & purus panis inveniar;
& optatissimas bestias, quæ paratæ meum corpus expectant,
quas utinam brevi tempore videam!* Quærat aliquis quæ causa hujus animositatis?

RATIO I. Quia impii non habent in se Spiritum S. Pii verò habent in cordibus suis, qui eos solatur secundum Christi promissum, Joh. 15. & 16. capp. Atque hinc est quod Simeon ait, *Nunc dimittis Domine servum tuum &c.* Luc. 2. 29.30. Martyr Christi fortissimus Hieronymus Pragensis, cui Poggius Pontificius scriptor ad Leonardum Aretinum tale exhibet testimonium: *Nullus unquam Stoicorum tam constanti animo tamque sorti mor-
tem perpessus est, quam ille: eundo canebat hymnum;
Salve festa dies toto venerabilis anno, & quæ sequuntur.* Cum verò palo alligatus animadverteret carnificem à tergo velle ignem accendere; *Huc, inquietabat, accede, &
in conspectu ignem accende.* Si enim illum timuissent, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessisse. Thuan. in Pref. ad Henr. IV. Regem Gall.

II. Quia certi sunt de amore Dei erga se, à quo nulla res ipsos separabit, uti eo se Paulus & alii fideles solantur, Rom. 8.35.36.

III. Quia sciunt quorsum post mortem migrabunt non in Purgatorium, de quo S. pagina nihil: multò minus in locum impiorum, sed in sinum Abrahami, id est, ad Dominum, *Phil. 1. 23.* Paulus vocat coronam iustitiae, *2. Tim. 4. v. 8.*

IV. Quia desiderant clarum conspectum Dei. Quemadmodum enim viator iter faciens nocturno tempore appetit Solis ortum: ita pii ex hac caligine educi & frui luce optant, non Solis quidem ejus, mundum qui illustrat universum, sed luce ea, quae è Dei mente profundens sese fovet eos, quos ad se evocavit. Ejusmodi desiderium vide in Apostolis, *2. Cor. 5. 2. 8.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Ah desideremus nos etiam mortem justorum! Demi operam, ne mors nobis sit terrori; in id incumbamus, ut eam subeamus animo hilari. Ad hoc opus est bona conscientia, qua prædictus fuit Paulus & omnes paulò ante recensiti. Est enim murus abeneus conscientia mens rectis. Ad mortem mature nos præparemus, ut parati offendamur; in quo nobis S. Hieronymus præit, qui de se ita: *Quies diem illum considero, toto corde contremisco: sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videatur tuba illa terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium.*

Quod POSTERIUS attinet, rationem nempe hujus consolationis, ea est in verbis, *amissio enim nulla erit ciusquam ex vobis, sed tantum navis.* Ratio est desumpta ab eventu futuro, qui fuit conservatio salutis hominum, navis verò confractio, q. d. Id vobis certo certius affirmo, nullum ex nobis peritum: ergo bono estote animo!

animo. Non potuit majus esse periculum: tantum erant *Digitis à morte remoti Quatuor aut septem*. Imò præ oculis mortem habebant, spem conservandæ vitæ amiserant: attamen Deus per Paulum certam promittit, & ut deinde suo loco videbitur, præstitit salutem.

DOCTRINA.

Tanta est Dei sapientia, ut sciat etiam ibi consulere juvaréque, ubi nullum valere consilium videtur. Hoc evidens est ex *hoc loco*. Magna pollebat sapientia Salomon, *1. Reg. 4. 30.* Sed nîl est in comparatione Divinæ. Scivit *Danielem* vivum conservare inter feroce leones, *Dan. 6. 23.* *Jonam* educere ex ceti ventre, *Jon. 3. 1.* Israëli-tas per mare rubrum transferre, *Exod. 14. 22.* Hoc planè est, quod Apostolus ait: *Novit Dominus pios ē tentatione eripere, 2. Pet. 2. 9.* Ideoque Deo soli sapientia tribuitur, *Job. 12. 12. 13. Rom. 16. 27.*

RATIO est; Quia ab ipsis sapientia & potentia omnes res dependent, reguntur & gubernantur. Nam Deus dat omnibus vitam & halitum & omnia, *Act. 17. 25.*

USUS CORRECTORIUS.

O nos itaque multoties insipientes, qui dum media noua videmus, statim dubitamus. Unde verò hoc? Parum adhuc in Schola Dei sumus exercitati, nondum bene novimus ejus sapientiam, omnipotentiam, promissiones, in quibus ita fidelis est, ut non finat nos tentari supra id quod possumus, sed unacum tentatione præstabit etiam exitum, ut possimus eam sufferre, *1. Cor. 10. 13.* Hoc itaq; saltē exempli istorum nautarum discamus. Deum suos ex desperatis casibus liberare; quod etiam magna nostra consolationi debet inservire.

HYPOTYPOSIS CONCIONIS IX.

Textus. Acto. 27.

23. *Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego,
& quem etiam colo.*
24. *Dicens : Ne metue Paule, oportet te Cæsari sisti, & ecce
gratificatus est tibi Deus omnes qui tecum navigant.*
25. *Propterea bono animo estote viri : credo enim Deo, ita
fore quemadmodum locutus est mihi.*
26. *In insulam autem quandam excidere nos oportet.*

E X E G E S I S.

HAbuimus suavissimam Pauli consolationem, qua in eo consistebat, quod etiamsi naufragium essent passuri, tamen mirabili Dei providentia nemo ex iis interitus esset. Quo autem huic suæ rationi, quam ad probandam consolationem adduxerat, majorem faceret fidem Paulus, confirmat eam, idque visione Angelica, ac tandem Orationi suæ finem imponit. Itaque in his verbis duo habemus;

- I. *Visionem Paulo exhibitan.*
- II. *Orationis Paulinæ conclusionem.*

D E P R I O R E. V. 23. 24.

Ubi notatur, 1. Tempus visionis. 2. Modus. 3. Sermo Angeli ad Paulum.

Quod PRIMUM attinet, Tempus notatur verbis, *hac nocte*: nempe qua in summo periculo & animi angore versati sumus, quum jam & merces nostras & armamenta

menta navis ejecimus, omnemque spem salutis nostrae
conservandæ amisimus.

D O C T R I N A .

Opportunè solet Deus succurrere suis, quum maxima urgentur necessitate. *Exemplum* habes in Paulo *hoc loco*, quem Deus in maxima angustia per visionem consolatus est. Quum jam per aquas & flumina adversatum transeunt fideles, ac tantum non submerguntur, adest illis, quum ambulant per ignem, servat eos ne urantur, juxta *promissionem* ipsius Dei, *Esa. 42.27.28.* (*aliis 43.1.2.3. 4.*) Ita *populum suum* ex Ægypto educit, quum jam servitutem ferre non possunt; (quum duplicantur lateres, venit Moses.) *Exod. 2.3. 24.25.* Eundem, quum jam jam è medio tollendi erant Hamanis malitia, in vita conservat, *Esth. 4.* Christum Angelus solatur, quum valde tristis esset usque ad mortem, *Luc. 23. 43.* Lothum servavit cum jamjam Sodoma incenderetur, *Gen. 19.*

R A T I O I . Quia amore magno & perpetuo prosequitur eos Deus, quo sit, ut eos ne iriquam possit deserere; quemadmodum illum ipse declarat amplissime, *Esa. 49. v. 14. 15. 16.*

II. Quia verax est in promissis. Promisit autem invocantes se liberare, *Psal. 50. 15. Hebr. 13.5.* Ergo licet ad extrema usque res eorum venire sinat, tamen tandem in tempore subvenire assolet: mentiri enim nescit, teste Paulo, *Tit. 1. v. 2.*

U s u s I . C O R R E C T I O N I S .

Eorum, qui in adversis, crucé & calamitatibus impatienter esse solent; præsertim si non ad eorum placitum preces Deus exaudiat; inde murmurant, aut con-

queruntur nimium: qui tamen debebant meminisse, Deum licet liberationem differat, tamen scire in tempore succurrere.

U s u s II. C O N S O L A T I O N I S.

Quo quid nos quæso magis consolari possit? Prema-
mur licet diuturna cruce, tamen certi sumus eum quem
maxime urgebimus, adfore. Non enim est uti homo,
qui tantum tempore felicitatis nobiscum sit; immo vero
eius praesentia bonitatem maximè eluet in rebus cala-
mitosis, dum nos ab eis non sinit opprimi; sed conso-
latur, prout promisit, *Esa. 66.13.* Adsit ergo licet mors,
opportune succurret, ut *Stephano*, cui se visendum aper-
tis coelis praebuit, *Aet. 7.55.56.* Patimur vero defectum
rerum ad hanc vitam necessariarum? supplebit, ut *Sare-
pta* viduae, *1.Reg.17.14.* Etiam in fame, nutriet nos ut *Eli-
am*, *1.Reg. 17.6.* Jure itaque dixit *Job. 13.15.* & *Abac. 3. v.17.18.*

Quod SECUNDUM attinet. Visio illa facta fuit per
Angelum bonum, *v. 23.* Non sine causa autem mentio-
nem facit Dei, cuius se cultorem asserit; verum ideo,
ne deinde miraculosa illa liberatio alii quam huic soli
vero Deo tribueretur. Apparet autem inde primo, quan-
ta animi constantia quilibet religionem suam profiteri
debeat, in medio etiam hostium veritatis, quales hic
erant Gentiles, idololatriæ, à quibus tamen Paulus sibi
non timet, quominus se veri Dei esse cultorem inge-
nuè fateatur.

D O E T R I N A.

Deinde, videmus Angelos bonos esse ministros ho-
minum fidelium: illorum enim Deus utitur ministerio
ad nos trahendos, consolandos, & confirmandos. Hoc
innuit

inveniunt ipsorum *nomen*, non naturam sed officium denotans. Sunt etenim legati vel nuntii, teste Paulo, *Heb. 1. 14*. Castra ponunt circa pios, *Psal. 34. 8*. Tuentur eos à malo, *Psal. 91. 11*. Leonum ora obstruunt, *Dan. 6. 23*. Deciblo prospiciunt Eliæ, *1. Reg. 19. 5*. Ex periculis liberant Jacobum, Lothum; Consolantur Josephum, aliósque Patriarchas. Futura revelant Danieli, Elisæo; Ecclesiam ab hostibus defendunt, ut claret *Esa. 37. 36*. Hostes piorum poena afficiunt, ut Herodem, *Act. 12. 13*.

R A T I O. Quia sunt ex eo numero rerum, quas Apostolus dicit omnes inservire piis in bonum, *Rom. 8. 28*.

U s u s I. C O N S O L A T I O N I S.

Igitur in quoque tandem casu fuerimus constituti, bono simus animo, neque metuamus: nam potentes nobisque amicos habemus defensores; adeo ut unus eorum ingentem Senacheribi exercitum prostraverit, *Esa. 37. 36*. Nec est cur de eo quicquam dubitemus: expressè enim dicit, *Psal. 91. 11*. *Angelus suus præcepit de te, ut conservent te in omnibus viis tuis.*

U s u s II. I N S T I T U T I O N I S.

Proinde par est, ut istos tam fidos Achates custodéscque nostratos amemus & veneremur. Non quidem cultu idololatrico, eos ut tutelares Angelos invocando, eisque nos nostráque tuenda per preces ad ipsos directas committendo: nam talia híc de Paulo non legim⁹: imē alibi contraria planè in S. viris invenimus exempla; vide *Apoc. 22. 8. 9*. Verum dando operam, ut eos apud nos retineamus, neque à nobis repellamus. Illud fit pia vita, sermonibus castis & puris. Hoc verò per peccata; quemadmodum enim apim fumus repellit, ita peccata An-

gelos bonos. Quod si verò aliquando ex fragilitate humana contingat ipsis privari, vera ad Deum resipiscētia mox redeamus. Illi enim ut dolent ex peccatis nostris; ita gaudent ex pœnitentia, affirmante ipso Domino, *Luc. 15. v. 10.*

Quod TERTIUM attinet, *Sermo Angeli* continetur *v. 24.* Ubi tria includuntur: Primo enim Angelus erigit Paulum, prohibetque metuere. Deinde, rationem addit à veritate promissionis Dei desumptam, qui ei *act. 23. n.* promiserat certò Romæ futurum, ut Euangelium testaretur ibidem. Tertiò, denuò promittit neminem interitum, idque in gratiam Pauli; cui omnium vitam donavit, ut cum ipso incolumes evaderent ex illo periculo.

D O C T R I N A.

Quemadmodum aliquando Deus propter unum hominem impium multos alios punit, uti in Achane, *Jos. 7. v. 24. 25.* appareat: ita vice versa propter unum vel plures pios multis impiis parcit, eisque benefacit. Exemplum est luculentum hic in Paulo & ejus comitibus. Ita Sodomam servasset, si in ea decem probi fuissent inventi, *Gen. 18. 32.* Imò ipsum *Lotbum* eduxit è Sodoma propter Abrahamum, ut ipse Deus ait, *Gen. 19. v. 29.* *Labano* benedixit propter Jacobum, *Gen. 30. 27.* Toti domui *Potiphari* propter Josephum, *Gen. 39. 5.* *Syri* propter Namanum, *2. Reg. 5. 1.* *Joramo* propter Josaphatum, *2. Reg. 3. v. 14.* De hac benignitate Dei vide insigne testimonium cum promissione, *Jer. 5. 1.*

RATIO I. Ut clarum faciat quanto amore Deus suos complectatur, qui nihil non in eorum gratiam est facturus.

II. Ut

II. Ut aliquando impios fidelibus obstrictos redat, quò tutiùs inter eos vivere possint.

III. Ut ostendat fidem & religionem eorum sibi probari; ideoque amplectendam esse.

U s u s I. R E P R E H E N S O R I U S.

O vos ergo insipientes, qui pios abigitis, trucidatis! quamdiu illi vobiscum sunt, rectè vobis erit: quam primum autem illi non supererunt, peribitis. Nā mund⁹ hic etiam ipsorum causa conservatur. An nescitis Deum ante exitium pios tollere? omnino, teste Propheta, *Esa. 57.5.* (aliis 57.1.2.) Hinc Plato: *Quando Reip. imminet mutatio, Deus bonos viros ex ea evocat.* Ita ante diluvium novem Patriarchæ fuerunt ex hac vita evocati, ne viderent totius generis humani interitum, excepta Noachi familia. Omnes etiam apostoli præter Johannem mortui sunt ante ultimum excidium urbis Hierosolymorum.

U s u s II. I N S T I T U T I O N I S.

Tutissimum ergo nobis est piis adhærere & cum iis conversari, in quo David nobis præit exemplo, uti apparet ex *Psal. 16.3. & 119.63.* Poenas enim & calamitates ita effugiemus. Lothi generi non periissent Sodomæ, nisi eum deseruissent, *Gen. 19.16.* Nec uxor ejus, nisi eo relicto retrò adspexisset, *ibid. 26.* Periissent utique consanguinei Rachabæ, nisi ei adhæsissent, *Jud. 6.26.* Hoc verò faciliùs fiet, si omnimodam cum impiis conversationem caveamus, juxta hortationem, *Esa. 48.20.* *Exite ex ea popule mi.* *2.Cor. 6. u.14.* Et exemplum Mardochæi, *Esther. 3. u.2.*

D E P O S T E R I O R E.

Jam sequitur Orationis Paulic conclusio. *v.25.26.* Ubi
tria

tria habemus: I. Bono jubet esse animo Paulus suos comites, v. 25. Ubi hoc observandum est, quod Paulo soli revelatio facta fuit, ut eam reticere potuerit; attamen communicat cum eis, neque invidet, memor illius: *Omne bonum communicati vum sui.*

D O C T R I N A.

Ea est piorum indoles, ut bona à Deo sibi præstata non occultent, sed cum aliis communicent. Sic *Paulus* hoc loco, & beatissima *Virgo*, *Luc. 1.39. 46.47.48.*

R A T I O, quia sincerè amant suos proximos: jam verò charitas non invidet, ut loquitur Apostolus, *1. Cor. 13. vers. 4.*

U s u s C O R R E C T O R I U s.

Quod arguit avaros & invidos, qui putant sibi dona data tantùm propter ipsos solos; qui tamen meminisse debent, indignè eum vivere per quem non vivit & alter. Ideoque *Paulus* jubet res nostras in usum sanctorum consecrare, iisque benè facere, *Rom. 12.13. Gal. 6.6.* Tales sunt similes iis, qui talentum defodiunt, *Mat. 25.25.*

S E C U N D Ó, fundamentum illius animositatis ponit, Promissionem Dei, v. 25. *Credo enim*, inquit, *Deo.* Res mira! Tantùm ei dictum fuit; Ne metue Paule; & statim credidit, licet modum, viam, mediaque non videret.

D O C T R I N A.

Hæc est natura veræ fidei, quod soli Verbo Dei credit, neque rationem suam in consilium adhibet. Exemplo est *Paulus* hoc loco & *Gal. 1.16. Abraham*, *Rom. 4. v.17. & seq.* Castissima *Virgo Maria*, *Luc. 1.38.* Hujus fidei vim expressit Christus, *Matt. 17. 29.*

RATIO I. Quia sciunt fideles Deum in promissis suis esse fidem & veracem. Ipse enim Deus loquitur, *Psal. 89. 34. 35.* Adeo fidelis est, ut hoc necesse habeant fateri nonnunquam ipsi impii, & dicere cum Bilheamo, *Num. 23. 23.* Non enim est Deus ut homines, qui s̄epiū multa promittunt, pauca vero vel nulla præstant; de quibus idem dici possit, quod Hieron. de Ruffino: *Quum montes auri pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis profers.* Deus vero omnia sua promissa liberalissimè exsolvit.

I I. Quia non hoc respiciunt quod posset fieri, sed quod De⁹ potest ac vult. Potentia vero Dei est infinita. De qua *Damasc. Orth. fid. l. i. in fine*, ait: *Deus quicquid vult, potest, non tamen quicquid potest, vult: potest enim existim mundo adferre, at non vult.*

U s u s I. I N S T I T U T O R I U S.

Hinc docemur, quid cause intercedat, quod complureis precum suarum non reddantur compotes? Incredulitas, & quod plena fide non recumbant in promissionibus Dei. Cur enim discipuli Christi lunaticum illum sanare non potuerunt? ob incredulitatem, ut ipse Dominus respondet, *Matt. 17. 17. 20.* Fides sanè requirit in precibus Spiritus S. per *Jacobum c. 1. v. 6.*

U s u s II. H O R T A T O R I U S.

Nos itaque verbo Dei & ejus Prophetatum firmiter credamus, memores hortationis Josaphati, *2. Par. 20. 20.* Cœlum & terra præteribunt, verba autem Dei nequam præteribunt, *Matt. 24. 35.* Quod si fidem habuerimus, non difficile erit obtinere etiam ea, quæ sunt supra captum nostrum; uti testatur Paulus, & exempla in-

insignia producit in hanc rem, *Hebr. ii. 32. 33. 34.* Vice versa, quam multa proveniant damna ex infidelitate, clarum est vel ex exemplo Tribuni militum illius, de quo *2. Reg. 6. 35. & 7. 17. 18.*

TERTIUS, prædicit locum, in quo essent servandi, *v. 26.* Hæc insula infra *c. 28. v. 1.* Melita vocatur. Et nominat eam expressè ideo, ut fides eorum magis confirmaretur; in cuius rei certitudinem certum signum eis dedit Deus, prout & alias solet, ut videre est, *Esa. 7. 14.* Appositè autem dicit excidemus in insulam. Notat enim naufragium, sed ita ut illi salvi elabantur. Nec vocula, *Oportet, caret* sua singulari emphasi. *Oportet,* inquit, *nos excidere.* At cur? quia Deus promisit, & promisit: quia voluit.

D O C T R I N A.

Dei voluntas semper impletur. Quid est, quæsto, quo voluntas Dei fuerit frustrata unquam?

R A T I O I. Quia quicquid ei placet, facit: quæ sunt verba Davidis, *Psal. 115. v. 3.*

II. Quia nulla res ei resistere potest, opponat se licet totus mundus, *Rom. 9. 19.* Attende hinc tecum; Promiserat se Paulum servaturum, & voluit: huic ejus voluntati opponebat se omnia. Nam ventus dicebat, evertam ego te; aqua dicebat, submergam te; navis dicebat, ferre te diutius non possum; quin ipsi milites, nos te salvum esse nec cupimus nec volumus. Et tamen quæ voluit præstitit. Imo & navis confracta fuit, conservatus est tamen Paulus. similia videmus in Populo Dei in Ægypto multis calamitatibus presso, quem tamen Deus inde eduxit potenter. Ita etiam voluit Templo suum

suum post captivitatem Babylonicam restaurari, ac factum fuit, licet multi impedirent, imò inhiberent, *Esd. 4.*

U s u s C O N S O L A T O R I U s.

Quod in primis his turbulentis temporibus nos consolari debet; in quibus Cœlum & Terra, Aer & Aquæ, omnes creature videntur conspirasse contra Dei Ecclesiam. At non est metuendum ut intereat, *Oportet, oportet*, ut conservetur; quia hoc promisit Christus, *Matth. 28.28. Joh. 10.16. Matth. 16.18.* Unde tuto possumus dicere cum Davide, *Psal. 2.1.2.* Frustra ergo eam persequimini, ô homines mortales! *Oportet* enim ut sit in mundo ad finem ejus. Quomodo enim esset Sponsus absq; sponsa? aut Pastor absq; ovibus? Abstinete ergo à frustaneis conatibus. *Experientia enim sat is edocet: sumus, ferrum, flamas, exilia, proscriptiones irritasse, quam sanasse potius morbum menti inhærentem: ad religionem impediendam cruciatus nihil valent, quin obscurant posius animos quam frangunt.* Stec illi licet carnifex, licet tortor ferrum & flammarum admoveat, perseverabit, nec quid passurus, sed quid facturus sit cogitabit. *Thuan. Epist. Dedic. ad Henr. IV.* Idem cum eo plane sensit longè ante Jodocus Vratislavien. *Episc.* qui postquam unà cum Pontificiis atque Calixtinis, in primis Magistro Joh. Rokyczano deliberaſſent de extincendis ex Bohemia ac Moravia Fratribus Orthodoxis, consilium dedit, ne Rex & Barones Fratres comprehensos interficiendos curarent, vel ut igne cremarentur, vel aliis suppliciis ut occiderentur, ne vulgo pro sanctis deinde aliqui haberentur, qui in confessione veritatis ad gloriam sanctissimi nominis Christi fortiter mortem obiiffent, omnibus cruciatus contempn. Cumque etiam ridiculus esse

*esse vellet, dixisse fertur: Rem non confici assa carne
parùm ille quidem facetè, sed verè tamen perhibens, suppli-
cii non frangi pietatis robur; neque efficacitatem impediri.*
Camerar. in Hist. de FF. Orthodoxis, pag. 112. 113.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X.

Textus. Acto. 27.

- 27. Cæterum, quum quartadecima nox advenisset, & jacta-
remur in Adria, nautæ circa medium noctis suspicati sunt
appropinquare sibi aliquam regionem.
- 28. Et demissa bolide invenerunt passus viginti: & paulu-
lam inde progressi, rursum demissa bolide, invenerunt
passus quindecim.
- 29. Et metuentes ne quo modo in aspera loca exciderent, ja-
ctatis è puppi anchoris quatuor, optabant diem oriri.

E X E G E S I S.

ITÀ audivimus promissionem Dei de conservanda
Pauli vita ejusque comitum itineris: sequitur jam
admirabilis & modo insuetō ejusdem promissionis di-
vinæ adimpletio; quam tamen adhuc quædam ante-
cesserunt, quæ fidem eorum potuissent ambiguum red-
dere: uti, diuturnior in mari jactatio, & alia. Hic ha-
bemus duo:

- I. Inquisitionem altitudinis maris.
- II. Projectionem quatuor anchorarum.

D E P R I O R E. v. 27. 28.

Hic notatur, 1. Tempus. 2. Occasio. 3. Ipsa investigatio.
Quod

Quod PRIMUM attinet, *Tempus* continetur v. 27.
 In quibus verbis tempus notatur, i. *Medium noctis*, &
 quidem decimæ quartæ, proculdubio ex quo cæperant
 maximè periclitari. Diu itaque erant, quatuordecim
 nempe dies & noctes continuò in summo discrimine
 constituti. Quod iterum documento est, Deum differ-
 re nonnuquam liberationem in longos terminos: Quā
 Doctrinam jam ante tractavimus; *Conc. III. v. 7.*

2. Accidit id tum: *cum* vehementer in Adria *jacta-*
rentur, v. 27. Significare vult Lucas, eos in mari Adria-
 tico circa Siciliam & Melitam incerto cursu errasse,,
 nunc huc nunc illuc tempestate marina fuisse jaçatos.
 Jam certi erant conservandæ vitæ suæ, nihilominus ta-
 men inconstanti & vago feruntur cursu: ita Deus eos
 duxit, ut modum non intelligerent sed admirarentur.

D O C T R I N A.

Nam h̄ec est Dei consuetudo, ut cum vult aliquem
 miraculosè conservare vel liberare, faciat id modo in-
 sueto, qui hominibus sit impervestigabilis & incogni-
 tus. Uti patet hoc loco. Ita *populi* Dei ex Ægypto edu-
 di modus sanè miraculosus fuit. *Conservatio* trium ju-
 venum non minus miraculosa: quippe nō per extincio-
 nem ignis, vel pluviam demissam, sed per Angelum fa-
 cta. Nec intellectum fuit à Judæis, cur Augustus Cæsar
 totum mundum conscribere jussisset: ignorarunt ideo
 factum, ut Messias liberator populi sui Bethlehemi na-
 sceretur, *Luc 2. v. 1.*

RATIO I. Ut ei soli gloria & honor in totum ad-
 scribatur, non hominibus, quos ipse Deus omnino ex-
 cludit, *Esa. 42.8.* Hic enim non raro peccari solet à non-

nullis, qui ex periculis liberati, aut bonis aliquibus affecti, gloriam Deo denegant: quo non incommode pertinere videtur, quod *Manlius* in *Loc. Com.* pag. 178. annotavit, de Hadriano Pontifice Romano, cui postquam ad istum honoris gradum evectus esset, cum Lovanii quamplurimi congratularentur, suspensa sunt etiam aulæa, in quorum uno fuit hoc: *Trajectum plantavit: Lovanium rigavit: Cæsar incrementum dedit.* Sed non inepte aliquis subscriptis: *Hic Deus nihil fecit.* Nos vero Deo discamus accepta referre beneficia.

II. Ut per tam miraculosas operationes gentibus etiam innotesceret. Ita innotuit Cananæis: prout illi ipsi fatentur, *Jos. 2. 10. 11.*

III. Ut eum omnes revereantur & timeant; quemadmodum hunc finem indicat Josue, c. 4. 24. Exemplum vide in populo Israël, *Exod. 14. 31.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Quapropter ne unquam dubitemus de promissionum divinarum impletione, licet modum non intelligamus. Neque dicamus cum Maria: *Quomodo erit istud?* *Luc. 1. 34.* quin potius: *Apud Deum non erit ullum verbum quod fieri non possit,* *ibid. v. 38.* Admiremur etiam & deprædicemus Providentiam Dei cum Paulo, *Rom. 11. 33. 34.*

Quod SECUNDUM attinet, Occasio est in verbis: *Nautæ suspiciati sunt, &c. v. 27.*

Hæc regio instructioni ipsorum inservire debuit, ne in syrtes vel alia periculosa loca inciderent imprudentes. Quia vero noctu esset, mirum, quomodo eam animadverterunt. Verisimile est itaque Deum singulati modo eis revelasse, non procul abesse regionem illam,

lām, eōsque de périculo admonuisse tempestivē.

D O C T R I N A.

Ea est Dei bonitas, ut de periculis imminentibus & poenis suis homines priūs admoneat. Ulti eum hoc loco fecisse videmus. Hinc testatur *Amos* 3. 7. Non facit Dominus *Jehova* quicquam, nisi quum revelaverit secretū suū servis prophetis. Admonet autem non tantū ordinariē per verbum suum & Ministros ejus, qui ad poenitentiam hortantur poenásque denunciāt, sed etiam per signa varia. Nam *area Noë* quid aliud erat quam signum & admonitio périculi ab aquarum inundatione imminētis? *Gen. 6.* De excidio Hierosolymitano admonebat per cometas: equites, currus, exercitus in aēre repräsentatos: per Jesum quendam, qui in urbe continuò clamabat: *Vae, vae Jerosolymis, vae & mihi.* De périculo Salvatori imminente admonuerat Josephum, per somnum, *Matth. 2. 20.* uti & Magos, *ibid. 12.*

R A T I O I. Respectu piorum, ne in pericula incident, sed liberentur. Exemplum est in Lothro, *Gen. 19. 22.*

II. Respectu impiorum, ut inexcusabiles reddantur, teste Domino, *Joh. 15. 22.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Discamus ergo ad talia signa & admonitiones Dei animadvertere, eaque magnificere, agnoscentes singularem Dei erga nos benignantem & longanimitatem. Sunt enim paternæ cautelæ. Certè si hi nautæ signum apparentis regionis parvifecissent, incidissent in syrtes vel alia périculosa loca, & periissent, procul enim adhuc aberant ab insula Melita, quā natando vix potuissent affisci. Iaprimis verò concessionibus sacris fidē adhibeamus,

vitamque nostram corrigamus, quoties nobis pœnæ & comminationes Divinæ denunciantur.

Quod TERTIUM attinet, ipsam *Investigationem* habemus v. 28. Jam reipsa deprehendunt adesse vel insulas, vel continentem, vel loca vadosa. Nullum dubium est, quin Pauli consolatione adeo recti fuerint, ut omni deposito metu, optimam salutis suæ conciperent spem. Verum iterum vehementer consternari potuerunt. Postquam enim se jam regionem & portum attractus putant, in vadosa incidunt loca & in novas magnas que difficultates. D O C T R I N A.

Quod iterum est argumento, Deum aliquando licet promissiones liberationis faciat, tamen ejus reddit homines compotes per varias difficultates & pericula. Mirum sanè; habebant hi certam Dei promissionem, & tamen quas non experiuntur difficultates? De eo testantur etiam pii Judæi, Psal. 66.12. *Fecisti ut insideret mortalis in caput nostrum, ingressi sumus per ignem & per aquam: tandem eduxisti nos ad hanc saturitatem.* Sic eidem populo suo promiserat educationem ex Ægypto per Moysen & Aronem; at ille durius habetur, quam prius: non dabantur eis paleæ, plures extorquentur lateres, imò cum jam exivissent, seque liberatos existimassent, Pharaon insequitur: ante se mare fribundum vident, circa se montes immobiles, &c. Exod. 5. & 10. cap. Adeo, ut eum recte ipse Deus vocaverit titiem ex igne, Zech. 3. 2. Davidi promiserat regnum & dedit. Sed bone Deus! quibus non prius exantlatis laboribus, periculisve toleratis? jam cum Saul hastæ percutit, jam insequitur: jam in spelunca vitæ conservatio-

vationem querit, jam apud Gentiles exulat, *i. Sam. 30.*

R A T I O I. Ut suos probet, tanquam aurum in catio, ipso Deo id dicente, *Esa. 48. 10.* Ita probavit Israëlitas, *Psal. 81. 8. & 66. 10.*

I I. Ut beneficium liberationis gratiore animo amplectamur. Hoc enim gratius & charius habemus, quod majorem molestia acquirimus. *Sicut bona valetudo jucundior est iùs, qui è gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt: Sic omnia desiderata magis quam assidue percepta delectant.* *Srigel.*

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Hoc etenim nobis inservit, si quando incidimus in similes difficultates, ne de successu desperemus: neque abs terreamur à bono proposito. Etiam si enim per aquas, flumina, ignem difficultatum nobis ambulandum sit, tamen aderit tandem uti promittit, *Esa. 42. 27. (alii 43. v. 2.) Recordemur, quanta diligentia Judæi templum restaurabant, licet impedirentur.* Nota est hominis Deo diffidentis, qui ingruente aliqua difficultate à bono recedit; tales erant Judæi, de quibus lege, *Jer. 44. 18.*

D E P O S T E R I O R E.

De *Projectione anchorarum* habemus *v. 29.* Ubi *primo* causa redditur, cur non fuerint ausi ulterius procedere, sed coacti sunt in anchoris consistere? Ea fuit metus, ne in aspera loca inciderent; id est, in syrtes, scopulos. Deinde metus ille exaggeratur. Metuant verò, licet iam haberent Dei promissionem confirmatam, quod eis neutiquam esset pereundum. O incredulitatem! Sed non mirandum est.

D O C T R I N A.

Nam hoc est multorum hominum ingenium, quod nec Deo ejusque verbo, nec promissionibus aut ministris fidem adhibent. Hoc Johannes testatur de mundo, *c. 1. v. 10. 11.* & exemplum istorum nautarum confirmat, quorum incredulitas ex multis appareret. Nam 1. *Mettunt*, qui tamen iam habebant confirmatam Dei promissionem. 2. *Jaciunt anchoram non unam vel duas, verum quatuor.* 3. *Optabant diem oriri, quasi Deus non æquè facile noctu posset servare atque de die, v. 29.* Tales erant *Nazarethani* illi, propter quorum incredulitatem Christus apud eos non multas edidit virtutes, *Matth. 13. 58.* Tales, *milites Davidis*, qui, etiamsi jussisset Deus eum ire contra Philistæos, tamen de victoria ambigebant, *1. Sam. 23. 2. 3.* Huc pertinet etiam incredulitas *Namanis Syri*, cum jesus esset se lavare in Jordane, *2. Reg. 5. 11. 12.* & *Achasi*, qui non credidit posse Deum ejus arbem à Syris defendere, *Esa. 7. 1. & seq.*

RATIO I. Quia non satis puram conscientiam habent, quæ si plenæ expurgaretur, nullus locus relinqueretur diffidentiae.

II. Quia suam, quæ corrupta est, rationem sequuntur, potentiam Dei non respiciunt, sed mediis nimium inhærent. Unde sit, ut si media cessent, fides eorum etiam evanescat.

U S U S I. C O R R E C T O R I U S.

O quam multis est hodie repperire, qui verbo Dei, promissionibus nec ministris credunt! adeo ut Ministri frustra se concionari, nomine Dei minari, promissiones annunciare jure conquerantur. Ita *Esa. 53. 1.* Ad eos pertinent verba, *Psal. 106. 24.* *Spreverunt terram desiderabilem,*
non

non credentes verbo ejus. Sed audiant poenam Dei horrendam, Psal. 78. 21. 22. Idcirco audiens Jehova excanduerat, & ignis succensus erat in cibum, at etiam ira arserat in Israëlem. Quia non crediderint in Deum, neque confisi erant in salute ejus. Ita ob dissidentiam punitus est Asa Rex, 2. Paral. 16. 7.

Usus II. HORTATORIUS.

Itaque nos demus operam ne in nobis sit cor incredulum desciscens à Deo vivo; ut hortatur Paulus, Hebr. 3. 12. Exemplis aliorum fiamus cautores. Judæi sancè non introierunt in terram promissam propter ineruditatem, teste Paulo, Hebr. 3. v. 19. Deo semper & ubique, etiamsi media deficiant confidamus; neque hos nautas sequamur, qui metuebant ne in aspera inciderent loca; quin potius Abrahamum, qui creditit in spem contra spem, Rom. 4. 18. Et obtinebimus tandem fideli nostræ finem, æternam vitam, quam ipse Dominus promisit, dicens: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, Joh. 3. 36.*

HYPOTYPOSIS
CONCIONIS XI.

Textus. Actor. 27.

30. *Quum vero nautæ fluderent fugere è navi, & demisissent scapham in mare, sub praetextu velut è prora anchoras extensuri.*
31. *Dixit Paulus Centurioni & militibus: Nisi isti in nave manserint, vos servari non potestis.*
32. *Tunc abscederunt milites funes scaphas, & sverunt eam excidere.*

IN præcedenti verborum explicatione habuimus de-scriptionem metus magni cum aliorum, qui hac na-vi veliebantur, tum in primis nautarum, qui metuentes ne in aspera inciderent loca, quatuor projecerant an-choras. Porro eo: um metus alio argumento confir-matur, nempe meditatione fugæ è navi. De qua ita agit Lucas, ut;

- I. *Describat ipsorum præparationem ad fugam illam.*
- II. *Mali propositi per Paulum detectionem.*
- III. *Fugæ à Centurione prohibitionem.*

D E P R I M O. v. 30.

Sine dubio nautæ hujus à Pulchris portibus ulterio-ris navigationis authores fuerunt; v. 12. Cum verò mi-serum fore eventum sui consilii certo certius viderent, metuerunt sibi, ne à Centurione, ut melioris Paulini consilii contemptores, in mare præcipitarentur, vel alio modo punirentur. Optimum ergo eis visum ma-ture sibi fugâ consilere. Quam hoc modo adornarunt;

1. Studebant è navi fugere. Primo enim consilium ca-pessebant deliberabântque. Ab una parte versabatur eis ob oculos promissio Dei de conservanda vita: ab altera iagens, &c, uti apparebat, inevitabile vitæ peri-culum; ut dubii animis hærerent desperaréntque, præ-fertim cum nulla viderent media. (In quo hominum infidelium expresserunt imaginem.) Proinde, aut cre-dendam erat Dei promissioni, & pericula superanda; aut promissa Dei abjicienda, & aliquid aliud suscipien-dum. 2. Itaque (prout homines procliviores sunt temper alterius cujuspiam sequi potius consilium, quam Dei)

Dei) deserunt promissiones divinas, & scapham demittunt in mare, quæ in majoribus navibus haberi solet, ut, vel anchoras ex ea jaciant, vel sub naufragium ejus ad miniculō vitam servent. Statuunt ergo rem pessimam, deserere eos, quorum salutis curam suscepérant, nec de eo cuiquam significarunt: imd^d, ne in suspicionem venirent, prætexunt se velle anchoras c^r prora extende-re. Habuerunt igitur prætextum sui facti; & quidē mali.

D O C T R I N A.

Natura hominum irregenitorum est; non libenter peccata sua confitentur, quin potius ea obtegunt, variisque prætextus querunt; ut nautæ hoc loco. Testis est Job. c. 20. 12. 13. Ita Adam peccatum suum non fateba-tur, sed in Eviā derivabat; hæc in serpentem, Gen. 3. 12. 13. Similia vide in Caino, Gen. 4. 9. Populo Israëlitico & in primis Arone, culpam vituli facti à se in alios rejiciente, Exod. 32. 22. 33. Saule, 1. Sam. 15. 15. Iuda Isca-riote, qui prodidit Dominum sub prætextu osculi, Matth. 26. 48. Tales erant Pharisæi etiam, quos ideo Christus arguit, Joh. 9. 41. Nero Romam incendit, causam verò in Christianos posuit, quos ideo variis cruciatibus excruciaabant; de quo Tac. Annal. l. 15. ita: Non ope hu-mana, non largitionibus principiū, aut deorum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumor Nero subdidit reos, & quæsitissimis pænis af-fecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat.

RATIO I. Quia sunt sibi malè consciī. Mala enim conscientia fugit lucem, teste Christo, Joh. 3. 20.

II. Quia eos pudet culpam fateri: ideo tantum ab-est ut eam fateantur, ut potius omnes prætextus que-

rant, quibus eam à se removeant. Exemplum est in *Adamo & Eva* sese abscondentibus, *Genes. 3. v. 8.*

III. Quia putant se posse latere, latendóque Deum fallere; quod tamen est impossibile, quia Deus est omniscius & omnipræsens, juxta *Psal. 139. 2 -- 12.* Etiam ipsa corda nostra inspicit & renes scrutatur, ut ait *Jer. 17. 10.*

U s u s D E H O R T A T O R I U S.

Nos verò omnem fallaciam & dolum fugiamus: nemo enim potest Deum decipere; quia omnia patent ejus oculis, & ut est, *Hebr. 4. 13.* nuda sunt ante eum. Si verò aliquando contingat peccare, prout magna est imbecillitas humana, confiteamur peccata nostra: *Fidelis est enim Deus & justus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni injustitia, 1. Joh. 1. 9.* Ita confitetur David, *Ps. 32. 3. 5.* *Publicanus, Luc. 18. 13.* *Filius prodigus, Luc. 15. 21.* Frustrum autem inde reportabimus remissionem peccatorum, pacem & tranquillitatem conscientie; ut patet ex exemplo *Publicani, Luc. 18. 14.* Qui verò peccatis suis prætensiones alias fingit, licet aliquamdiu lateat, tamen non prosperabitur, teste *Salomone, Prog. 28. 13.* & tandem cum summo pudore in extremo judicio eadem fateri erit necesse. Hæc autem confessio fiat, vel coram Christi Ministro, vel coram alio fratre, vel coram ipso Deo, in precibus acris.

D E S E C U N D O. V. 31.

Hic habemus consilii & instituti nautarum patefactionem: q. d. Paulus; quamquam Deus certò nos servare promisit, tamen non exclusit media. Ac proinde, necesse est omnino istos nautas manere in navi, nō fugere, ut sit qui curam navis agat diligenter. Deus en. in decernendo

pendo rem, simul decernit media. Decrevit nos salvare, sed per fidē & eā sequentia bona opera; quæ tamē tātūm sunt via regni, non causa regnandi, ut loquitur Bernhard. Porrò cum dicit Paulus, *nisi isti in navi manserint, vos non potestis servari*, hoc ostendit, quod Deus omnino vult, ut ordinaria & legitima media adhibeantur. Inde jam satis liquet, per Paulum detectam fuisse eorum fugam, prodictionem, & malum propositum. Hoc verò non potuit colligere ex externis signis: cur enim alii idem non animadvertisserint? Sed proculdubio ex revelatione divina. Quod nisi fuisset factum, omnibus illis pereundum erat. Deus ergo eos præmonuit.

D O C T R I N A.

Observemus iterum, Deum, quoties fidelibus imminent aliqua pericula, præmonere solere: uti hoc loco Paulum. Certa enim est Apostoli sententia: *Novit Dominus pios è tentatione eripere*, 2.Pet. 2.9. Ita præmonuit Lothum de excidio Sodomæ per Angelum, Gen. 19. Davidem, per uxorem, cum illi vitæ periculum à Saule ingrueret, 1.Sam. 19. 11.12. Paulum de insidiis Judæorum per filium sororis Pauli, Act. 23. 16. Omnes fideles de interitu Babylonis: ideoque jubet illos exire ex ea, Apoc. 18.14. Ita admonuit mirabiliter de molitione pulveraria Jesuitarum adversus Jacobum, Regem Angliae, anno 1605. Vide Thuanum libro 135.

R A T I O est; singularis Dei erga illos amor, quo ita suos complectitur, ut nolit eos interire; adeo ut jure illi ipsi possint dicere cum Jeremias: *Jehova ostendit mihi ita ut agnoscerem: tuum demonstravisti mihi actiones eorum*. *Quum essem velut agnus aut bos qui duicitar ad macellandum:*

nam ignorabam eos contra me inire cogitationes dicendo, per-
damus culmum cum grano ejus, & excindamus eum è terra
viventium, ut nomen ejus non commemoretur amplius, Jer.
11. 18. 19. Et quidni eis revelet? Est enim Pater eorum;
Num verò pater liberorum suorum interitum specta-
ret? Est Pastor eorum; annon ergo periculum à lupis ra-
pacibus imminens indicabit? Certè.

U s u s C O N S O L A T O R I U s.

Hoc nos soletur, animūmque addat contra consilia
hostium Ecclesiæ Dei sanguinem spirantia. Conve-
niant in unum, consultent etiam secretissimè; tamen
novit Dominus eorum mentes & astutiam, ut horum
nautarum; imò suis revelabit, præcavebitque, hostes
capiet, ut loquitur Job, c. 5. 12. 13. Monebit vel per An-
gelum, ut Josephum, Matth. 2. 13. vel alio modo. Hoc eo-
dem se solatur Ecclesia Dei, Esa. 8. 9 -- 12. Confidenter
ergo dicamus cum Davide: *Quare tumultuantur gentes,*
& nationes meditantur inane? & seqq. Ps. 2. v. 1. 2. 3.

D E T E R T I O. v. 32.

Ejusmodi scapha maximè solet esse necessaria sub
naufragium, quale tunc jam instare videbatur. Nam
postquam navis confracta est, scapham adhibent, ut
saltem aliqui enatare possint salvi. Mirum itaque vide-
ri potest, cur eam milites non retinuerunt, sed absen-
sam hiverunt excidere. Cur quæso? Ut probarent se
majore fide erga promissa Dei præditos fuisse, quam
ipsos nautas; de militibus autem loquor; quos sibi
Paulus magis jam in periculis obsequentes habet, quā in
Croce: jam enim eredebant Deum posse eos salvos con-
serva-

Servare, etiam absque omnibus mediis, adeo quoque si-
ne scapha.

D o c t r i n a.

Ita sancè fit, ut sæpenumero insigniores dotes & vir-
tutes, major fides, fiducia & pietas in iis inveniatur, de
quibus non speraveris, quam in iis, qui à plerisque pro
præstantissimis habentur. Nautæ facilius verbis Pauli
credere debebant, quippe experientia proculdubio non
semel edocti, Deum eos mirè servasse; quam milites
periculis marinis insueti. *Milites* quidem probos ra-
riores videoas: attamen ecce hic major in eis elucet fides
quam in nautis. Simile videmus in *Centurione*, Matth 8.
v. 9. adeo ut & Christus miraretur, & insigne ei testi-
monium præberet, v. 10. Major gratitudo in *Samaritan-*
no, quam in novem Judæis, Lus. 17. 15--18. Major cha-
ritas erga proximum in *Samaritano*, quam in Sacerdote
& Levita, i. u. 10. v. 31--33. Intensior dilectio Christi in
peccatrice *Maria*, quam Pharisæo, qui sibi justus videba-
tur, Luc. 7. 44--47. Ita hodie aliquando major fiducia
erga Deum in *plebeis*, quam principibus populi, 2 Reg. 6.
v. 35. (aliu 7. 2.) Major fervor pietatis in *auditoribus*, quam
eoneionatoribus. Major poenitentia in *Niniuitis Ethni-*
cis, quam Judæis: licet ibi unicus Jonas, hic innumeri
hortarentur Prophetæ. Breviter, sæpe maiores virtutes
in hominibus à mundo despiciunt, quam claris & diviti-
bus conspicuntur. Ideoque Dominus Jesus quosdam
auditores verbi sui dixit esse similes terræ spinosæ; Ut
enim inter spinas plerumque delitescunt animalcula
venenata, insectaque varia: ita in quorundam homi-
num divitum cordibus varia vitia, animam eorum infi-
cienz

cientia; uti superbia, avaritia, fratum contemptus, &c.

R A T I O I. Quia Deus qui est autor omnium bonorum & donorum, est sibi liberrimus, distribuit ea cui vult, nec habet respectum honoris, aut dignitatis, vel divitiarum, *Job. 3. 8. 1. Cor. 12. 11.*

II. Quia homines in mundo præstantes media per quæ Deus agit ut plurimum contemnunt, negligunt, sibi que soli latet sapere putant: pauperes vero illa magnificiunt. *Exemplum est in his militibus, qui fidem Pauli adhibuerunt & obedientiam præstiterunt.*

U s u s I N S T I T U T . & D E H O R T .

Caveamus ergo ne quenquam contemnamus, quin potius meminerimus admonitionis Christi, *Matth. 7. 1. 2.* Neminem parvifaciamus: saepe etenim sub folido etiā palliolo latet sapientia. Quis sperasset Publicanum redditum domum justificatum? *Luc. 18. 14.* De nomine desperemus quamdiu vivit. Charitas Christiana non permittit: Experientia vero docet, Deum varias habere vocationis internæ & efficacis horas. *Quosdam enim hora prima, alios sexta, alios nona, alios ante ipsam mortem vocat in vineam suam.* *Latro in cruce pendens improbissimus habebatur, qui tamen misericordiam consequutus Paradisi adeptus est delicias, Luc. 23. 43.* Lazarus ab omnibus derelictus, ab Angelis in sianum Abraham fuit translatus, *Luc. 16. 22.* Paulus persecutor Ecclesiae, reditus fuit Apostolus Christi. Quin potius satagamus ut illas virtutes possideamus vere, tametsi eis nos carere a mundo estimemur. Melius est namque esse virum bonum, quam videri. Quo fieri, ut cum illis militibus liberationem reportemus; illi ex mari terreno; nos ex misere-

miseriis vitæ hujus, deferamurque in portum securitatis & æternæ cœlestis.

HYPOTYPOSIS CONCIONIS XII.

Textus. Actor. 27.

33. Interim autem dum oriretur dies, hortabatur Paulus omnes ut caperent cibum, dicens: Dies hic est decimus quartus ex quo exspectantes jejuni permanetis, nullo cibo sumpto.
34. Ideo vos hortor ut sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram spectas. Nullius enim vestrum capillum ex capite caderet.
35. Et quum hoc dixisset, & accepisset panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & quum frigisset cepit edere.
36. Omnes vero quum jam animum receperissent, sumpserunt & ipsi cibum.

EXEGESIS.

E Gimis in præcedenti Concione de causa media, per quam nostri navigatores pervenerint ad salutem, nempe de retentione nautarum in navi. Quæ sequuntur, pertinent etiam ad illas medias causas; ut curatio corporum, & Pauli consilium de cibo sumendo. De quo in istis habemus verbis. Est ergo hic;

Oratio Pauli hortatoria, ut cibum sumerent. Hic, vero Lucas notat;

- I. Tempus & introducit Paulum Oratorem,
- II. Rations quibus id persuadebat,
- III. Effectum orationis.

Ergo quum *lucifereret*: eadem illa nocte, qua in summis versabantur periculis: adeo ut ob ea nautæ fugam meditarentur, uti vidimus v. 30. Ille autem hortabatur, qui non erat periculis mariis adsuetus, eos qui erant magis assueti, nempe nautas; quia ille erat vas Dei electum, illi homines carnales & prophani: ac hortabatur ita, ut simul etiam consolaretur, v. 34.

D O C T R I N A:

Habemus hic imaginem hominum Deo confidantium; nullis periculis nimium exterrentur, nulloque metu moventur: quin imò toto mundo contremiscente, illi soli animis imperterriti consistunt, in Domino gaudent & alios erigunt. Mundo turbas excitante, ipsi pacem fruuntur: aliis omnibus seipso curis macerantibus, ipsi requiescunt: dum alii à cladibus minitantibus declinant, fugiunt, & latibula querunt, ipsi in umbra Dei placide consident: dum alii timent, pavent, horrent, ipsi omnia bona expectant: dum alii vacillant, cadunt & pereunt, ipsi fortiter perstant: dum alii tristantur, radio afficiuntur, & lachrymiantum non diffluent, ipsi animo letabundo exultant & cantant: dum alii conqueruntur & murmurant, illi Deum laudant: dum alii omnibus miseriis exponuntur, ipsi invictissimis propugnaculis & exercitibus insuperabilibus circumdati, gaudere non desunt. Rever. & Eximus Vir, D. Comenius in Centro Secur. cap. 10. Exemplo est Paulus hoc loco. Ita Rex Israëlitarum ferè desperabat, Josaphat verò eum erigit, & quid facere debeat instruit, 2. Reg. 3. 10. 11. Eliseus quoque servum suum multitudine hostium valde conurbatum confirmat, 2. Reg. 6. 16. 17. Contra verò impii in tali

in tali statu quid faciant, vide Esa. 57. v. 24. 25. (aliis 57. v. 20. 21.)

R A T I O I . Quia in Deo cordibus suis habitant; hoc est, ibi quo nulla calamitas, nullus metus pertingere potest.

II. Quia intus in mentibus eorum splendet lux omnis generis consolationum; juxta Davidem, Psal. 97. v. u. Lux sata est justo, & rectis animo lertitia. Item Ps. 112. 4.

III. Quia habent bonam conscientiam, certique sunt de Dei præsentia. Unde dicunt cum Davide: Jehovah adest mihi, non timebo, quid faciat mihi homo, Psal. 118. v. 6. & Psal. 116. 8. 9. Cum Paulo, Rom. 8. 32.

U S U S I N S T I T U T O R I U S . & C O N S O L A T O R I U S .

Etiam si igitur totus mundus adversus nos insurgat, nobisque minitetur, tamen ne concidamus animis: neque metus mus, sed cum Paulo Deo confidamus, intrepidè dicentes cum Davide, Psal. 46. 2. 3. 4. Quod ut assicquamur, necesse est insistere Pauli vestigiis, bona conscientiae studentes; darèque operam ut tales simus qualis erat David, Psal. 119. 63. Socius sum omnibus, qui reverentur, & observant præcepta tua.

D E S E C U N D O . v. 33. 34. 35.

Suadet i. Rationibus. 2. Præit suo Exemplo.

I. RATIONES quod attinet; earum tres recenset;

I. Quod multo jam tempore, nēpe à quatuordecim diebus nihil comedissent, v. 33. Non quod nihil omnino; periiissent enim fame: quandoquidem (ut Hippocrates docet) homo sanus non potest sine cibo ultra septem dies vivere: Paulus verò hīc dicit eos quatuordecim

dies jam jejunare. Ægri quidem, quibus naturalis calor languet, & abundat phlegma, diutiùs inediam prorogare possunt. *Albertus M.* ait vidisse se Coloniæ mulierem, quæ interdum totos 30. interdum 20. dies inediam toleraret. *Portus* quoque puellam Germanam narrat per biennium sine cibo vixisse. Verùm verba Pauli hoc tantùm volunt, quod parùm valde comedissent: qui enim parùm edunt, nihil edere dicuntur; quemadmodum etiam qui parùm dôrmiunt, dormire nihil: vel, quod per illos dies ordinario modo prandium & cœnam non sumerent, sed tantùm singuli raptim aliquid.

R A T I O II. Quod conservandæ saluti hoc planè sit necessarim v.34. Cibus enim & potus ordinaria sunt media à Deo instituta vitæ nostræ tuendæ: q. d. Non potest homo vivere, nisi mediis legitimis utatur: & quemadmodum nemo sibi ipsi vitam adimere debet, ita nemo cibum & potum rejicere.

D O C T R I N A.

Homo Christianus conservandæ vitæ suæ & valetudinis causa debet cibo & potu uti; caveréque summoperc, ne saluti suæ nimia abstinentia noceat. Hoc expressè Paulus docet; *hoc enim*, inquit, *ad salutem vestram spectat*. Huc pertinet ejusdem Pauli consilium Timotheo datum, *i. epist. 5. 23.*

R A T I O I. Quia hoc est à Deo mandatum Præcepto sexto: *Non occides*. Ubi non tantum vetat proximum interficere, sed etiam seipsum: & simul jubet vitam nostram legitimo mediorum usu conservare; ut *cibo, potu, recreatione honesta, medicina*: quod non faciunt illi, qui

qui tibi & potu cum dispēndio valetudinis suæ abstinent.

II. Quia ejusmodi nimia abstinentia naturales vires affligit & conterit, quo sit ut homo nō possit commode munia vocationis suæ obire. De quo Greg. Mor. 30. c. 28. ita: *Dum plus justo caro restringitur, etiam exercitatione boni operi enervatur; ut ad orationem vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum funditus suffocare festinat.* Et Thom. Aquinas in 12. c. Rom. ait; *illum amittere dignitatem hominis rationalis, qui jejunium vel vigilias præfert sensus integratam.* Greg. Nazianz. coactus fuit Episcopi munus deponere, quod obeundis Episcopi partibus corporis vires deessent.

U s u s R E F U T A T O R I U S .

Hoc ergo facit ad redarguendos eos, qui nimia abstinentia valetudini suæ nocent, ideoque nec proximo suo prodesse possunt; quales fuere *Monachi Palestinae*, qui quandoque quinque dies continuos & amplius jejunabant, atque eō usque laboribus & vigiliis se affligeabant, ut mortui viderentur super terram jacentes infepulti. *Evar. Histor. Eccl. lib. 1. c. 21.* *Basilius M.* sibi jejunii, vigiliis, reliquaque vitæ austерitate parùm moderata miseram valetudinem accersiverat: ut ei fuerit vita acerba, mors optabilis. Tales multi hodie sunt, qui per omnem suam vitam cibis quibusdam non vescuntur, in eo aliquod meritum satisfactionis vel justificationis collocantes. Cum tamen esca nos non commendet Deo, *1. Cor. 8. 8.* *Conf. Esa. 58. v. 3.* cum *Zach. 7. v. 5. 6.*

Object. Ergone dannas talia externa mortificationis exercitia? *Resp.* Minime! sed tantum in eis requiro

scientiam & moderationem. Ita enim laudabilia sunt omnino & utilia; cum nempe referuntur ad corporis castigationem, ad precum ardentiorum adminiculum. Immoderationem verò, quæ infirmitatis propriæ rationem non habet, improbo, quo referendi sunt illi *Monachi*, de quibus *S. Bernh. serm. 6. in Psal. 49.* ait, quod variis corporis exercitiis & abstinentiis contriti fuerint, *supra vires, supra naturam, supra consuetudinem.* In primitiva Ecclesia moderata erant in usu; *rigida* verò semper à sapientioribus damnabantur. Nemo urgetur in aspera quæ ferre non potest; nulli, quod recusat, imponitur. *Aug. 1. de Mor. cath. Eccl. cap. 33.*

R A T I O III. desumpta est à certitudine promissionum Dei, in verbis: *Nullius enim vestrum, &c. v. 34.* quasi dicat, tutissimi eritis, (nam hoc est capillum non cadere) quia Deus vos in vita conservare promisit: ideoque sumendus est omnino cibus. Docet itaque hic locus, firmissimas & certissimas esse Dei promissiones, juxta testimonium *Jos. 21. v. ult.* (aliis 22. 3.) Quid ergo ad afflictiones trepidamus? aut ad peccata? promisit ea condonare, *Esa. 1. 18.* hostes reprimere, nobiscum esse, victoriam de illis dare, *Esa. 42. 27.* (aliis 43. 2. 3.) *Job. 16. v. ult.* Hanc doctrinam jam supra tractavimus.

I I. EXEMPLUM ipsius Pauli quod attinet, hoc habemus *v. 35.* Non ignoravit Paulus efficaciora esse exempla quam verba. Procliviores sumus ad ea imitanda quæ videmus; quam facienda, ad quæ alii nos hortantur. Nec quisquam melius alios docere potest, quam si ea statim ipse exequatur. Ita sanè Paulus de se testatur, *1. Cor. 9. v. 27.* Idem eum hoc loco fecisse videamus.

mus. Ubi in primis observandum, quod ad cibum capescendum etiam in maximis periculis non accedit sine prævia gratiarum actione seu benedictione.

D O C T R I N A .

Muneris est Christianorum non sumere cibos & potus, sine eorum sanctificatione, h. e. petitione à Deo benedictionis. Ita Paulus *hic fecit*, idemque faciendum esse docuit *1. Tim. 4. 3. 4.* Nec aliter *Christus, Joh. 6. 11. 12. Apostoli, Act. 2. 46. 47.* Primitiva Ecclesia, ut ex Tertulliani Apologet. patet, fecere.

R A T I O I . Quia hoc est à Deo expressè mandatum, *Deut. 8. v. 10 -- 15.*

II. Quia alioquin cibi illi nobis non erunt utiles, nisi à Deo benedicantur: uti videre est in Judæis, *Agg. 1. v. 6.* Inde fit, quod sæpius morbos potius causantur, quam valetudinem conservant: ita ut non minore jure de singulis ferculis dicere possimus, quod filii Prophetarum de suo ferculo, *Mors est in olla, 2. Reg. 4. 40.*

III. Quia Deus hac ratiōne victui nostro, ne unquam deficiat, benedicit. Mensa ab oratione sumens initium, & in orationem desinens, nunquam deficiet. Chrysost. Hom. 9. ad pop. Antioch.

U S U S I . R E P R E H E N S O R I U S .

Pudeat ergo nonnullos Christianos, qui nec ante cibum orant, nec post, gratias agunt. Similes sunt ingratiti porcis deglumentibus glandines sub quercubus, in arborem verò unde decidunt nunquam suspicientibus. Non meminerunt mandati Dei, exemplorum Christi, Apostolorum, primitivæ Ecclesiæ; de qua Basil. Epist. 1. ad Greg. NAZ. *Orationes*, inquit, *antequam ci-*

bum sumimus pro dignitate divinæ benignitatis in eundæ sunt respectu eorum, quæ jam tribuit, quæque in futurum largiturus est: post cibum vero rursus orationes gratiarum actiones excipiunt. In tales porcos Chrys. Hom. 10. in Matth. invicitur: audiant, ait, omnes qui quasi porci cum jam comedent, eversa calcibus mensa temulentī consurgunt, cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa derenire. Tales profectò metuere sibi debent ab interminatione Dei, Ezech. 4. 16. &c 14. 13.

U s u s II. I N S T I T U T O R I U S.

Hanc nos ingratitudinem devitemus omni studio, & demus operam, ut cibos nostros sanctificemus. Quomodo? 1. Per verbum Dei, qui hominem creaturarum dominum constituit, earumque usum ei concessit. 2. Per preces, quæ ex fide profectæ etiamsi aliqua impuritas in cibo esset, eam pellere possunt: multum enim valet precatio justi, Iac. 5. 16. 3. Per gratiarum actionem. Unde Theodoret. rectè ait in 1 Tim. 4. 4. Gratiarum actionem purgat, qui autem ingratus est, ipse immundus est & pollutus.

D R T E R T I O. v. 36.

Oratio Pauli finem intensum assequuta est; nam hoc effecit; 1. Quod comites ejus redditi sunt animo-fiores. Recepierunt siquidem animum, quem in tantis periculis amiserant. 2. Quod & ipsi cibum sumpserunt; ut inde videamus quantum possit exemplum! Certe Paulus multum eis profuit. Nisi enim eos consolationibus subinde crexisset, & monuisset ad cibum sumendum, animis proksimis concidissent & forte corporibus.

D O C T R I N A .

Patet ergo exemplo Pauli , homines pios & fideles non sibi ipsis modo utiles esse sed etiam aliis, inter quos vivunt. Hoc promittit Deus Abraham, Gen. ii. v. 34. 35. al. 12. 2. 3. Sic Labano profuit Jacobus, Gen. 30. 27. 30. Domini Potiphari Josephus, Gen. 39. 5. Nec ignorare possumus , quam multæ regiones per homines pios luce Euangelii illustratæ sint : quod vel solùm inter primarios fructus ipsorum nobiscum conversationis reputandum est.

R A T I O . Quod facit Deus, cum ut eorum religionem & pietatem commendet, tum ut facilius in mundo tolerentur.

U s u s C O R R E C T O R I U S .

& Institutorius.

O summam ergo tuam monde immunde ingratitudinem, imò impietatem ! Qui eos, qui tibi profunt, & porro prodesse possunt, in exilia ejicis, persequeris : quum tamen eorum causa Deus tuis pareit peccatis. Nos verò tales amemus eisque adhæreamus : uti enim utile est cum eis vivere, ita eos contemnere multis fuit detrimentosum ; quod scriptura sacra exemplis passim illustrat.

H Y P O T Y P O S I S
C O N C I O N I S X I I I .

Textus. Actor. 27.

37. Eramus autem universa capita in navigio ducenta septuaginta sex.

38. Cæterum satiati cibo, allevabani navini, projicientes frumentum in mare.

E X E G E S I S.

E Gimis hactenus de oratione Pauli, qua comites suos fame diuturna valde debilitatos ad cibum sumendum & animi fortitudinem excitavit, & quidem eo successu, ut & cibum & animos resumerent.

Porrò Beatus Lucas narrat, quidnam ita satiati egerint? quod projecterint frumentum in mare. Ubi notat;

- I. Numerum personarum in navi.
- II. Tempus, quo illud projiciebant.
- III. Ipsam projectionem.

D E P R I M O. v. 37.

Igitur erant universi ducenti septuaginta sex. Apparet non parvam fuisse navim. Jam si quis roget, quid attinuit numerum hominum fuisse recensitum? Respondeo, non sine causa id abs Luca factum esse. Nam primò voluit declarare certitudinem Dei promissionis, v. 34. contentæ. Deinde ostendere magnam Dei potentiam, ejusque admirandam providentiam, quæ se circa hoc naufragium ita exeruit, ut licet multi fuerint, nemo tamen perierit. Quod sanè non parvum est miraculum. In tanta enim hominum multitudine, unus alterum impedit, dum singuli propriam student conservare salutem.

D O C T R I N A.

Perinde est Dco nostro multos vel paucos salvos conservare, vel ab hostibus liberare. Tam facile ei fuit hos ducentos septuaginta sex incolumes littori reddere, quam

quam unum Jonam ex utero Ceti protrahere, *Jon. 3.1.*
 Hinc rectè Jonathan: Non est Jehovæ impedimentum quin
 servet multū aut paucis, *1.Sam.14.7.* & Asa, *2.Paral.14.v.11.*
 Certè non difficiùs ei fuit maximam multitudinem Is-
 raëlitarum per mare rubrum transferre, quam Mosen
 unum ex aquis liberare. Inde Moses lætabundus ait:
Consistite & spectate salutem Jehovæ, quam edet vobis hodie:
nam quos vidistis Ægyptios hodie, non pergetis videre eos post-
hac usque in seculum, Exod. 14.13. Ut faciliè unum Eliam
 opera corvorum pavit: ita omnium Israëlitarum vitam
 facilè in deserto per quadraginta annos sustentavit; li-
 cet id in initio ipsi Mosi impossibile videretur, *Num. 11.*
vers. 21. 22. 23.

R A T I O . Quia est omnipotens & sufficiens ad agen-
 dum quicquid vult, & plura quam vult, *Gen.1.v.17. Psal.*
115. v.3. Luc.1.v.37.

U s u s C o n s o l a t o r i u s .

Hoc verò magnam adfert consolationem: Nam si
 hanc Dei infinitam potentiam memoriæ probè infixe-
 rimus, non concidemus animis etiam si periculis sum-
 mis nos involvi videamus. Et licet ratio nostra modum
 liberationis ignoret: inveniet eum ille, qui scivit *Jonam*
ex profundo mari in siccām reducere terrām. In primis
 verò hoc observemus, quoties Ecclesiam Dei persecu-
 tionibus hostium agitari cernimus, & tantum non op-
 primi: et si numerus hostium arenam maris exsupereret,
 ne timeamus: facilè enim est ei multos punire æquè
 ac paucos, suósque conservare ut hic Paulum. Quod
 exemplo exercitus Senacheribi claret, *Esa.37.36.* Habet
 hoc in re familiari etiam insignem usum, quotiescun-

que ob ampliorem familiam & rem domi angustiorens de commoda sustentatione dubitare velimus. Ne dicamus eum illo duce, 2. Reg. 6. 35. al. 7. 2. Si Jehova faceret cataractas in cœlis, an posset esse resistar? Perinde enim illi est unum alere vel plures, multo cibo vel exiguo: uti exempla docent; *Vidua Sareptanae*, 1. Reg. 17. 9. *Mulieris illius ex uxoribus filiorum Prophetarum*, 2. Reg. 4. 1. &c.

D E S E C U N D O. v.38.

Facta est hæc projectio post sumptum cibum, de quo egimus in præcedenti Concione. Jam antè jacturam fecerant mercium, aliarūmque suarum rerum & sarcinarum, imò etiam armamentorum navis: ea verò, quæ ad victimum pertinebant hucusque retinuerant. Miserrima enim est mors omnium, fames; ubi corpus sanguinum & membra, quæ adhuc vivere possent, miserabiliter contabescunt & emoriuntur. Quid ergo rei est, quod jam etiam ea quæ ad sustentationem hujus vitæ pertinent projiciunt? Ad littus properabant: ne ergo longius à littore navis allisa confringeretur, allevabant eam. Jam enim certi erant de liberatione futura, adeoque non amplius opus fore in mari cibo & potu. Ubi primò insigne exemplum fidei & obedientiæ nobis imitandum proponitur. Deinde videmus etiam,

D O C T R I N A.

Quarundam rerum interitum esse ex repletione, quæ non nisi evacuatione servari possunt. Ita *hec navis* non potuit propriùs littori applicari, & qui in ea vehebantur servari, nisi allevaretur. In *rebus naturalibus* res est evidens. Nam omnes ferè morbi ex repletione oriuntur: primus autem gradus est ad sanitatem, evacuatio-

Ita etiam in *rebus spiritualibus* res habet. Nam Regnum, Rerum publicarum, urbium, &c. interitus causa est, quod repleta sint peccatis & iniquitatibus. Quæ causa quod *primus mundus* aquis interierit? Respondeat *Spiritus S.* quod aucta fuisset malitia hominum in terra, Gen. 6. 5. Cur *Chananæi* sedibus pulsæ antiquis, alii cœsi, alii huc atque illuc dispersi? quod terram peccatis & gentilium abominationibus repleverint. Hinc Deus ipse loquitur, Gen. 15. 16. Lev. 18. 24. 25. Vice versa primus gradus ad salutem & conservationem est allevatio navis Reipublicæ, Urbis, Regni, &c. Hoc enim Deus promisit, Jer. 18. 7. 8. Exemplum est in *Israëlitico populo*, cuius misertus est Deus, postquam removerunt e medio sui deos alienigenarum, *Judic.* 10. 15. 16.

R A T I O. Quia quælibet res habet certos sibi constitutos limites, quos si transiliat, de salute & integritate sua pericitatur. Quod admodū Rev. & Insignis ille Vir, D. Comenius in suo Securitatis Centro, *Centrum cuiusque rei appellat*, & post adducta rerum inanimatarum varia exempla, de animalibus terrestribus ita pergit: *Animalium terrestrium* (quibus hominem secundum corpus consideratum accenseo) *substantia Centrum est Temperatura Elementorum*, i. e. *justa in corpore* *Siccitatis & Humiditatis, Caloris & Frigoris contemprio*. Ab isto Centro si corpus declinet, (nimirum si non servet proportionem suam Calor, vel frigus, Humiditas vel Siccitas,) fieri non potest, quin dolor, imbecillitas ac tandem interitus subsequatur. Cap. 3. Parag. 2.

U s u s I. INSTITUTORIUS.

Quapropter, si nolumus navim Reipublicæ, vel Civitatem,

vitatis, vel domus privatæ nostræ perire, caveamus eam peccatis onerare; ne contra nos clamet Propheta, *Jer. 6. v. 11. 12. 13.*

U s u s II. H O R T A T O R I U S.

Vos in primis alloquor imponitentes peccatores: naturè exonerate navim vitæ vestræ iniquitatibus valde oneratam; mature, inquam: priusquam pereatis, priusquam ad littus mortis æternæ allidatis. Audite hortationem *Eccles. 12. 3. 4. Esa. 1. 16. 17.* Nam si judiciis Dei oppressi fueritis, nimiùm heu serò erit poenitentiam agere! quis enim scit an eam Dominus acceptaturus est; si quidem non tam ex amore boni rectè agere incipitis, quam timore poenæ; similes estis *Judæis*, de quibus vide *Esa. 2. v. 19. 20. 21.*

D E T E R T I O. v. 38.

Ipsam projectionem habemus in verbis: *allevabant navim projicientes frumentum in mare.* Admiranda sunt & impervestigabilia Dei judicia. Quanquam enim verax est in promissis, tamen saepius ita procedit, ut ea non statim ad hominum mentes impleat: immo aliquando jam iis satisfaciendo, mirabilem suam exerit providentiam: ea fini, ut suos eorumque fidem exploret. Cujus rei exemplum habemus hic. Certò enim jam sciebant Deum eos conservaturum, & tamen variis casibus exercabantur: jam impetuoso vento habebant, jam fluctibus marinis jactabantur; jam incidebant in syrtes; jam projiciunt merces, jam armamenta navis: tandem etiam frumentum, triticum, siliginem, &c. In possessione autem frumenti non exiguum homines solent colloquere divitiarum partem. Prout notum est, eos qui frumentis

mentis negotiantur, abundare opibus & divitiis hujus mundi.

D O C T R I N A .

Itaque projectio hujus frumenti in mare, docet nos, cum alias res mundanas, tum etiam divitias vel maximas inconstantes esse, ac tales, quae citò perire possunt: juxta testimonia: *Psalm. 39. 7. Profectò per imaginem præterit vir, profectò in vanum perstrepunt: congregat quispiam, sed nescit qui recepturus sit ea.* Sic *Psalm. 37. 16. 17. & 49. 11.* Qui hodie opulentissimus est, cras potest guttam aquæ desiderare, nec eam nancisci: uti Dives, *Luc. 16. 24.* Dittissimus erat Jobus; sed quam citò omnibus privatus bonis! *Job. 1. 9.* Nabuchodonosor, *Dan. 4. v. 33.* David, *2. Sam. 15. 15. 16.* Cræsus omnium sui temporis ditissimus fuit, sed à Cyro debellatus tandem pauperissimus factus, suo exemplo huic proverbio dedit occasionem; *Est & Iras subito, qui modò Cræsus erat.*

R A T I O I . Quia hæc est conditio omnium rerum sub Luna mutabili constitutarum, ut non sint diuturnæ; sed ambulatoriæ, ad certum tantum tempus durantes: juxta testimonium *Ecclesiastes 1. 2. 14. & 5. 10.*

I I . Quia divitiae non sunt summum bonum; imò ne quidem ex eorum genere, quæ vocantur bona animi: quin imò ne bona corporis: sed tantum bona (ut vocant) fortunæ: Fortuna vero quam sit inconstans, vel Ethnici nos docere possunt, qui eam forma muliebri in globo volubili stantem pingere solebant: alii vero vitro adsimilabant, unde & proverbium natum: *Fortuna & vitro nihil fragilius esse.*

U s u s I . H O R T A T O R I U M .

O fca

O felices illas animas, quæ rerum mundanarum; uti
divitiarum, pecuniæ, &c. ita considerant inconstau-
tiam, ut inde ad veram humilitatem coram Deo & ho-
minibus occasionem attripiant. In quo nobis & maxi-
mè verò Magnatibus *David* prætit exemplo, 2.Sam.7.18.
Agathocles Ethnicus Rex Siciliæ, quia ejus Pater esset
figulus, habebat pocula ex vasis testaceis, ex iisque bi-
bebatur, ut semper originis suæ recordaretur. Unde illi
versus: *Fortunam reverenter habe quicunque reponere Di-
vies ab exili progrediere loco.*

U s u s II. D E H O R T A T O R I U S.

Caveant etiam divites, ne alios despiciant: sed cogi-
tent, se etiam esse homines, iisdem casibus obnoxios:
ac proinde eadem eis posse accidere, quæ aliis evenere.
Audiant Prophetam, Mich.7.v.8.9.10. Salubre quondam
præceptum dedit *Solon Regi Cræso*, divitias ei suas ostен-
tanti; quod Poëta ita expressit: *Dicique beatus*
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

U s u s III. I N S T I T U T O R I U S.

Ergo discamus non confidere in hujus mundi divi-
tiis, neque eas tam sollicitè conquirere: quod monet
Christus, Matth.6.19.20. Verùm demus operam ut in
Deo simus divites, utq; spirituales acquiramus divitias:
ut simus divites in fide *Jac.2.5.* divites in conspectu Dei,
1.Pet.3.4. divites in virtutibus & operibus bonis, *1.Tim.*
6.v.18. divites in scientia & salutari cognitione Dei ac
Christi, *1.Cor.5.1.* Hæ sunt illæ veræ divitiæ, utpote quæ
solæ possessorem suum verè felicem reddunt. Sicut er-
go Stoici dixerunt solos sapientes esse divites; ita po-
tiore jure nos ea de Christianis pronunciare possumus.

Quo

Quo respectu Clem. Alex. lib. Pædag. cap. 6. in titulo ait: *Solus Christianus est dives.* Iстis divitiis instructi satis habebimus, etiamsi omnes terrenas opes amittamus. Stilpon Philosophus certè, capta patria ab hostibus, amissis liberis atque uxore, cum ex incendio publico solus exiret, interroganti Demetrio, nunquid omnia perdidisset? Respondit: *Nihil perdididi. Omnia mea mecum porto, justitiam, virtutem, prudentiam.* Nihil bonum putare potuit, quod eripi posset... Sen. Ita nos elabemur ex mari hujus mundi, & deferemur in portum felicitatis æternæ, quicunq; spiritualibus divitiis ditati fuerimus.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X I V .

Textus. Actor. 27.

39. *Quum autem dies ortus esset, terram illam non agnoscebant: sinum vero quendam animadverterunt habentem littus, in quem decreverant, si possent, extrudere navim.*
40. *Ancheris igitur undique ablatis permiserunt eam mari, simul laxatis vinculis gubernaculerum: & sublato arte-*
mone ad venti flutum tendebant ad littus.
41. *Sed quum incidissent in locum bimarem, impegerunt na-*
vem: ac prora quidem infixa manebat immota, puppis
vero solebat præ undarum violentia.

E X E G E S I S .

Quae hactenus à v. 27. commemorata sunt, ea omnia gesta sunt noctu: quae autem porrò narrantur à v. 39. usque ad finem capituli, ad diurnas pertainent

nent actiones. Jam enim Lucas describit, quid interdiu egerint? navigarunt ad littus; sed infeliciter: siquidem naufragium passi sunt; quanquam secundum promissionem Dei nemo ex illis periiit. Omnes enim in terram evaserunt salvi; de quo in ultima hujus capituli habebimus Concionem. In his ergo verbis continetur illa diurna navigatio, & quidem ita descripta, ut indicetur;

1. Occasio ejus. 2. Præparatio ad eam & ipsa navigatio. 3. Successus.

D E P R I M O. v. 39.

Ubi duæ redduntur causæ, quibus ad suscipiendam hanc ad littus navigationem concitati erant; 1. Quod jam dies ortus esset. Hactenus enim navis in anchoris steterat: jam eas colligunt & pergere statuunt; quia tūtiū interdiu navigatur, quam noctu. Dies enim ad labores exequendos commodior est, quam nox. 2. Quod animadverterent aliquem sinum habentem littus. Quo conspecto, procul omni dubio, magna fuere perfusi lætitia: spem enim certam conceperunt, jam tandem forte finem periculorum. Itaque decernunt, ut eō navim dirigant. Et sanè non poterant desperare navim ad littus venturam: suadebant circumstantiæ omnes; dies erat, littus non procul aberat, ventus non adversabatur. Verùm hac spe frustrati sunt; navis enim fracta fuit, ut infrà: quia Deus eis non benedixit. Statutum enim illi erat, navi fracta eos servare.

D O C T R I N A.

Homo nihil proficit absque Dei benedictione, etiam si vel optima habeat media, uti patet ex hoc loco. Hos frustraneos hominis absque Dei benedictione conatus

Ita expressus Propheta: Seruit multum, & infertis parvum: comditis, minime vero ad satietatem: bibitis, sed minime affatim: induimini, sed nemo ita ut sit calor ipsi. & qui mercedem reportat sibi, mercedem reportat in locum pertusum, Agg. 1. 6. Sic David, Psal. 127. 1. 2. Esaias, c. 5. 10. id est, nisi Deus benedicat. Sophonias, c. 1. 12. 13. Exemplum est in ædificatoribus turris Babylonicae, Gen. 11. 8. 9. In Sedechia, qui eripere se volebat e manu Chaldaeorum, at nihil effecit, Jer. 32. 4. 5. E contra, ubi Deus benedit, ibi omnia feliciter succedunt, uti est, Prov. 10. 22. Hoc patet in Iesu, qui serens adeptus est eodem anno centuplas mensuras: adeo benedicebat ei Jehovah, Gen. 26. v. 12.

U S U S I. C O R R E C T O R I U S.

Utinam hoc illi attendant, qui arti suæ, prudentiæ, & laboribus nimium fidunt, qui putant in manu sua esse conatum suorum successus, mali alicujus averiunctionem, vel boni acquisitionem; quique existimant se posse ditescere, si modo mentiaatur & defraudent alios. Tales describit Jacobus c. 4. 13. - 17. Verum si ad hoc axioma attenderent, *Nihil profici absque Dei benedictione, sanè procul abigerent omnem fraudem & dolos in commerciis, imò avaritiam in usu & conservatione bonorum.* Cum enim divitiae ex Dei benedictione proveniant, quis adeo insaniet, ut putet se posse eas obtingere per malas artes?

U S U S I I. I N S T I T U T O R I U S.

Nos vero quum sciamus omnes labores irritos esse, nisi Dominus dederit successum, quemadmodum Paulus pronunciavit, 1. Cor. 3. 7. & exemplum Apostolorum,

Luc. 5. v. 5. 6. docet; omnia Dei benedictioni accepta reaferamus. Deinde, ab eo solo successum laborū nostrom p̄ tamus & exspectemus. Nisi ipse benedicat, fruſtra ſumus. Recte *Greg. Naz.* ait: *Deo dante nihil noceſ invidia. non dante verò, nihil valet labor.* Nec tamen propter ea otiandum eſt, ſed utrūque conjungendum. 1. *Orandum* eſt. 2. *Strenuè laborandum* in illa vocatio- ne, in qua Deus quemque posuit, monente *Paulo*, *1. Cor. 7. v. 20.* Deo verò mandante, *Gen. 3. 19.* Malè cefſit *Aſae Regi*, qui hæc duo diuellebat, media nempe à Dei benedicio, quam non quæſivit in ſuo morbo, *2. Par. 16. 12.*

Uſus III. CONSOLATORIUS.

Hostes Ecclesiæ varias technas excogitant, & media adhibent, ut illam ejiciant; ſed fruſtra erunt, quamdiu Deus non annuet. At quî permittat? Promisit enim ejus conſervationem, *Matth. 16. 18.* Quod etiam de ſingulis fidelibus intelligendum eſt; eos enim tuetur strenuè. Herodes volebat Petrum educere ex carcere, ſed non præſtitit, quia Deus non benedixit, *Act. 12. v. 11.* Confidenti ergo animo dicere poſſimus cum *Davide*, *Pſal. 118. v. 6.*

DE SECUNDO. V. 40.

Postquam jam statutum fuit ad littus ire, rem ſerio aggrediuntur; colligunt anchoras, vela extendunt, & vincula gubernaculorum laxant: nempe instrumentum vel clavum quo navis regitur; eſtque in navi idem quod in equo frænum, in curru temo, in aratro ſtiva. Itaque plenis velis pergunt, ſed ad naufragium.

DOCTRINA.

Hic verò eleganter nobis depingitur eorum natura, qui

qui timore Dei carent, ejusque verbo non reguntur; quid tales agunt? currunt ad interitum. Quid enim nos à peccatis magis retrahere debet, quam timor Dei? quem qui non habet, is in omnia ruit scelera, & tandem in exitium; teste Jobo, c. 24. 19. 20. & 31. 3. Nonne exitium ibi quo, & quidem monstrorum operariis iniquitatis? Hanc timoris Dei anchoram deseruerat Amalias Rex, querendō deos alienos; ideoque etiam interiit, ura legimus, 2. Chron. 25. 15. 16. Achab, i. Reg. 21. 20. 21. Joas Rex Iudea, 2. Par. 24. 20 -- 25. Populus Israëliticus, Esa. 30. 10 -- 15.

RATIO I. Quia impossibile est, quin ille, quem Deus gratia & Spiritu suo non gubernat, sed voluntati ejus proprie permittit, ruat in exitium. Cum tali enim homine ita comparatum est, ut cum currū ex monte in præcipitum ruente, quum auriga equos non regit.

II. Quia hæc est peccati natura, ut qui illud operatur, pereat; juxta edictum Dei, Gen. 2. 17. Testimoniumque Pauli, Rom. 1. 33. & 6. 23.

Usus I. REPREHENSORIUS.

Videte ergo o peccatores quò curritis? ad naufragium vitæ æternæ, quod est æternum exitium. Vos alloquimur nomine Dei ut olim Prophetæ Iudæos: Statim secundum vias, & aspicite ac interrogate de semitis antiquis, quænam sit via boni, & ambulate per eam. ita invenietis requiem animæ vestre: sed susque deque ferris hæc, respondentes cum iisdem Iudæis: non ambulabimus, Jer. 6. 16. Verum cavete ne in aliquem sinum, in quo similiiter naufragium faciatis, incidatis; uti Dominus minatur, Jer. 6. 18 -- 22. & 18. 11. 12. Christus, Matth. 7. 23.

U s u s I I . D E H O R T A T O R I U S .

Igitur nos timorem Dei ut anchoram & gubernaculum vitæ nostræ semper in cordibus nostris foveamus. Quemadmodum enim navis naucleri manu regitur, ne tempestate maris pereat: sic timor Dei gubernaculis vitæ nostræ assistens, docet, qua ratione futura nobis pericula vitanda sunt. Ita nihil erit quod nobis exitium adferat. Arbor enim cum in altum radices miserit, ne vehemens quidem illam procella agitare poterit: si verò superficietenus fibras porreixerit, neque ad profunda descendenter, parvus licet venti flitus irruat, eam à radicibus eyellet. Ita etiam. si nos affixerimus Divino timori carnes nostras, nihil movere nos poterit: si verò verbo tantum Divine Religionis Sacra menta perceperimus, exigua pulsio tempestatis nos perimit ac perdit. Chrysost. Hom. 9. ad Tit.

D E T E R T I O . v . 4 I .

Unde apparet non adeo felicem fuisse successum: immò planè infelicem. Nam quum ex voto pergunt, non aliter persuasi, quam se portum attracturos; ecce, incident in locum bimarem, hoc est, isthnum, qua insula Melita procurebat in mare angusta terra. Talia loca periculosa sunt, uti exemplo horum patet: nam impegerunt navim validissimo impetu actam, ut prora quidem infixa maneret immota, puppis verò solvereatur præ undarum violentia. O quam longè aliter evenit, quam putarunt!

D O C T R I N A .

Ita sœpe accidit; Optimè cogitata pessimè cadunt. Existimabant hi se ad litus appulsuros, verùm, heu miserandum iis accidit naufragium. Eva exspectabat magnum

gaum solatium ex Caino; adeo ut diceret, *acquisivi vi-
rum à Domino*: verūm, quam frustrata fuit tuis cogita-
tis! frātrem ille interfecit, & inde in irām Dei incidit,
Gen. 4. 1. &c. Idem confirmant ædificatores turris Baby-
lonicæ, *Gen. 11. 3. 4. 7. 8. Haman, Esther. 5. 12. 13. 14. & 7. 9. 10.*

R A T I O I. Quia successus rerum non à nobis vel
nostro consilio dependet, verūm à Deo: juxta testimoniūm.
Neb. 2. 20. & ejus auxilio, quod Scriptura manū
Dei vocat *tsd* *g. 13. 22.*

I I. Quia sèpiùs vult Deus occasionem confidendi
in mediis præcindere, eventū mque suæ sapientiæ ac
prudentiæ adscribendi: vel, ut plerique insaniunt, cœ-
cæ *Fortuna* cum tamen respectu Dei primæ causæ nihil
hat fortuitò: vice versa, vult ut omnis gloria ei soli
tribuatur.

U s u s I. I N S T I T U T O R I U S.

Nihil ergo fortunæ vel casui tribuamus: & quia
quandoque optimè cogitata pessimè cadunt, primò ro-
gandus est Deus ut laborum & cogitorum nostrorum
fini benedicat. Non enim in eo situm est, qui cœpit
benè currere, sed qui perficit cursum; hoc autem in
manu solius Dei est, Apostolo teste, *Phil. 2. 13.* Deinde,
monendi sumus ne impatienter feramus, quoties ani-
mus noster successum optatum non affequitur.

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Certi etiam simus quod licet hostes Ecclesiæ Dei pu-
tent, optima esse sua cogitata de ea opprimenda; ta-
men male succedet eis: quia in Dei manu positus est re-
rum successus; incident in aliquem locum bimarem,
& mali sui propositi facient naufragium. Qui enim qui

arcum intendit, non habet in sua potestate scopum attingere; facile enim evenire potest, ut sagittam eò tendentem aliquid inde avertat: ita se hostium Dei habent consilia. *Philistæi* non aliter putabant, quam se populum Dei prorsus deleturos: sed male cesserunt cogita-ta. Hinc talibus David insultat, *Psal. 9.7.* & *Micheas, 6.7. v. 8. 9.* Suos enim Deus nunquam deferet: sed quemadmodum istos secundum promissionem suam è periculo marino ad securum portum eduxit; ita nos tempore suo.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X V .

Textus. Actor. 27.

42. Militum autem consilium erat, ut vincitos interimerentur ne quis, quum enatus esset, effugeret.
43. Sed Centurio volens conservare Paulum, prohibuit eos ab hac deliberatione, jussitque ut qui possent natare abjicerent se primos, & in terram evaderent.
44. Reliqui vero, partim in tabulis, partim quibusdam navis fragmentis: & ita factum est, ut omnes salvi evadent in terram.

E X E G E S I S.

Hæc est ultima pars capitinis, & ultimus actus vcl. exitus periculi: nempe omnium conservatio; quam tamen ita Lucas describit, ut prius indicet aliud quoddam vitæ discriminem, quod Paulo à militibus imminebat. Unde apparet conditio fidelium, qui sæpe

vix uno malo liberati, altero implicantur. Describitur his verbis;

1. Consilium militum de interficiendis captiuis.
2. Conservatio omnium è marino periculo, & in terram evasio.

D E P R I M O . v. 42. 43.

Sanè perquam crudele fuit hoc militum consilium, de interficiendis iis, quos tantum periculum noluit interire. Sed vide hīc, 1. *Causam* cur eos voluerint interficere? 2. *Quis* eos ab isto tam truculento cohibuerit consilio?

Quod PRIUS attinet, *Causa* fuit, ne quis enatares effugeretque; unde timebant, ne ipsorum causa incidenterent in alias difficultates. Fieri enim potest eos ad hoc fuisse legibus aliquibus obstrictos. Sanè de Hero de legimus, quod in custodes Petri carceris animadverterit severius, quod Petrum male custodivisse visi fuerint, *Aet. 12. 19.* Ultut sit, iniquum omnino erat, Paulum innocentem interficere; immo benefactorem, immo vitæ datorem; huic enim Deus gratificatus fuit omnes, qui cum eo in navi erant, *v. 24.* Adhæc, annon etiam ipse solabatur eos, animoque addebat? O ingratos homines! Similes sunt viperæ, quæ non nisi intereunte matre fasci dicitur.

D O C T R I N A .

Hoc est hominum irregenitorum ingenium, ut beneficiorum acceptorum obliviscatur; immo sapientius malum pro bono reddant. Exemplo sunt hi milites. Tales profectò, qui pro benefactis non modo gratiam non referunt, sed malum, vix sunt pro hominibus habendi

Nostris temporibus tales fore prædixit Paulus, 2. Tim. 3. 20.
 Tales erant hostes Davidis, de quibus conqueritur, Psal. 109. 4. 5. Certè ingratus erat Præfectus à poculis Regis Ægypti erga Josephum, Gen 40. 23. Populus Israëlis erga domum Gedeonis, Jud 8. 35. De quo conqueritur Jo-tam, Jud 9. 16. - 20. David liberavit totum populum ex Philistæorum manibus, verùm malam retulit gratiam à Saule, ejus aulicis & subditis, 1. Sam. 26. 18. - 21. Joas Rex Judæorum curavit interfici Zachariam filium Jojadæ illius à quo ipse à morte servatus fuerat, 2 Par. 24. 20. 21. Imò sæpenumerò ne videantur aliquod debitum gratiæ agnoscere, injuriis & contumeliis benefactores suos aggravant; ut viri Cœlæ Davidem servatorem suum dediti erant Sau' i, 1. Sam. 23. 2. 12. Chanon servos Da-vidis quos ad eum contulandum miserat, injuria affec-it, 2 Sam. 6. 4. Ingrati similes sunt hederæ: ut enim illa adhærens arborum ramis ope aliena in altum erigitur: sic obscuri consuetudine potentium crescunt deinde præfocans eos, à quibus evecti sunt in altum. Plutarch.

RATIO I. Quia sunt cæci & animales, non videntes quid boni acceperint. Certè Moses cautam ingratitudinis Judæorum erga Deum hanc adfert, Deut. 29. 2. 3. 4. Atque eosdem ideo graviter objurgat, Deut. 32. 5. 6.

II. Quia plerumque malo sodalitio, quod eos ad ingratitudinem incitat, gaudent.

Usus I. REDARGUTORIUS.

O vos ergo miseros qui mundo nimium fidiris, ejusque amicitiam queritis magis quam piorum, imò quam ipsius Dei! malam referentis ab eo gratiam; quia nescit reddere bonam. Dicetis tandem cum Davide, ex

C O N C I O N I S X V.

222

Psal. 35. 12. 13. & 58. 21. Homines huic mundo dediti similes sunt mulieris illi quam describit Salomon, *Prov. 5. 12. 5. 4. 5.* Vice versa, qui Deo placere student, benedictiuntur à Deo & optimam referunt gratiam, teste Davide, *Psal. 37. 25.* & Christo, *Matth. 19. 28. 29.*

U S U S II. D E H O R T A T O R I U S.

Nos itaque ne simus his militibus similes: tenemus enim ex mandato divino benefactoribus nostris gratitudinem exhibere. Ad quam excirent nos exempla: Iosuæ erga Rachab, *Jos. 6. 25.* Davidis erga Barzillai filios, *1. Reg. 2. 7.* Erga seniores Judæ, *1. Sam. 30. 26.* Erga Jonathænem, *2. Sam. 9. 1. c.* Quod si verò nobis contingat aliorum erga nos experiri ingratitudinem, ne moveamur: quin potius illius præcepti meminerimus;

At si quos poteris reque officioque jurabis,

Sic tamen adjutos ne meminisse putas.

Quod P O S T E R I U S attinet, ab hoc tam inhumano imò Diabolico consilio milires nefarios cohibuit Centurio, qui cum vellet Paulum conservare, propter hunc omnibus aliis vincitibus parcere jussit. Gentilis erat; gratus tamen vel solus beneficii accepti, uti unus Samaritanus inter plures Judæos, *Luc. 17. v. 16.* Hoc est consideratione dignum, quod in eo, qui inter tot ingratos cuculos vixit, tanta virtus eluxerit; quodque Ernicus Christianum, & quidem Judæum natione, quo illi maximo prosequabantur odio, à vi truculenterum militum servavit.

D O C T R I N A.

Semper habet Deus etiam inter maximos hostes Ecclesias, nonnullos, quorum opera suos conscrivare posse

H Y P O T Y P O S I S

rest: aut si opus est defendere, alere, de necessariis rebus
providere, uti hoc loco inter istos milites de quibus
verè dixeris; *Nulla fides pietásque viri qui castra sequun-*
tur; habuit Centurionem Julium, qui Paulum & Ari-
starchum, ac Lucam ex cruentis sociorum suorum ma-
nibus eripuit. *Priores* membrae Doctrinæ Exempia: Ru-
ben dissuasit cædem Josephi, *Gen. 37. 22.* Inter Phariseos
contra Christum consultantes habuit Nicodemum, *Joh.*
7. v. 50. 51. Inter eosdem contra Apostolos insurgentes,
Gamaliel, *Act. 5. 38. 39.* Exempla posterioris membrae:
Abdias abscondit 100. Prophetas eosque aluit, *1. Reg. 18.*
v. 3. 4. Huc etiam pertinent: in aula Saulis Jonathan
erat Davidis defensor: in aula Sedechiæ Ebedmelech
Jeremiæ, *c. 38. v. 7. &c.* Cui Deus ideo vitam promi-
fit servandam in direptione Hierosolymorum, *Jer. 39.*
v. 16. 17. 18.

R A T I O I. Quia vult Deus ubique esse veritatis te-
stimonia, etiam inter ipsos hostes, ut fiant inexcusabiles.

II. Quia ipse habet omnium hominum corda in
sua manu, quæ potest flectere quo vult, & emollire
prout vult, teste Salomone, *Prov. 21. 1. &c. 8. 14, 15. 16.* Po-
test ex Saule facere Paulum; & ex hostibus reddere
nobis amicos.

III. Quia magnam suorum habet curam, adeo ut
etiam ossa ipsorum in numerato habeat, *Psal. 34. v. 21.*
Quin vagationes eorum computat: & lacrymas eo-
rum in utre reponit, *Psal. 56. 9.*

U s u s C o n s o l a t o r i u s.

Confidamus ergo Deo etiam in maximis persecuti-
onibus, imè in ipsa morte... Habet Deus media per
quæ

que nos liberet. Neque timeamus crudelitatem hostium Ecclesiæ, inveniet Deus aliquem Centurionem, qui eam prohibeat, vel *Gamalielum*, aut *Nicodemum*, qui sanguinolenta consilia dissuadeat. Huc pertinent illa verba plena solatii, *Esa. 8.9--13.* Neque vero solus Paulus servatus est, sed etiam propter eum alii. Unde summus Dei amor erga ejus liberos appareret, qui eorum causa aliis quoque licet indignis & impiis bene facit. Ut inde discamus piis adhaerere, impiorum vero conversationem fugere; exemplo Elisei, 2. *Reg. 2. v. 2.* Davidis, *Psal. 141. v. 5.*

D E S E C U N D O. v. 43. 44.

Ubi notat Lucas; 1. *Modum liberationis.* 2. *Ipsam liberationem.*

Quod PRIMUS attinet, *Modus* est in verbis *jussit ut quae possint natare, &c.* Miraculosa quidem fuit certo respectu haec liberatio; sed tamen non est facta absque mediis. Non enim per aquas ambulabant ut Christus & Petrus: verum narabant; quidam peritiores absque tabulis; alii in fragmentis navis. Nihilominus miraculi loco hoc reputandum est, quod jam in media morte constitutos, Deus in vita conservavit. Quia vero in tanto vitae discrimine res plerumque tumultuarie aguntur, dum quisque primus in littore esse cupit, prudenter Centurio ordinem certum instituit, jussisse ut non omnes simul natarent, sed primo ii, qui natare scirent, deinde vero reliqui: idque ideo ne alter alteri esset impedimento.

D O C T R I N A.

Inde videmus, Deum non tantum sanem alicujus rei, seal

sed etiam media decernere, uti hoc loco: decrevit hoc
salvos conservare, sed simul voluit ipsos omnia legitima
media adhibere: corpus curare cibo & potu; nautas in
navi manere; ad littus pergere, imò natare & tabula-
rum ope uti. Ita conservat vitam nostram, sed per ci-
bum & potum.

Object. Atqui Deus nonnunquam sine mediis agit:
Moses & Elias quadraginta dies abique cibo & potu vi-
vunt. **Reſp.** Non dicimus Deum non posse absque me-
diis agere; est enim liberrimum agens; sed tantum o-
stendere volumus, dum media adsunt, esse iis utendum,
quia Deus ea constituit & subministrat, eo ipso quod
adsunt.

R A T I O. Quia est ut omnis boni author, ita omnis
pulchritudinis & boni ordinis amator, quod ex admis-
tandis ejus operibus apparet.

U S U S I N S T I T U T O R I U S.

Nemo itaque media dum præsentia sunt, nempe le-
gitima contemnere debet, etiamsi fortè minus pro-
futura putentur. Quinimò verò utendum iis exemplo.
Christi, qui pueræ à mortuis resuscitatæ statim jussi-
dare quo vesceretur, *Marc. 5. 43.*

Quod **P O S T E R I U S** attinet, *liberatio ipsa* est in ver-
bis, & ita factum est, ut omnes salvi evaderent in terram.

D O C T R I N A.

Hic apparet luce meridiana clarius veritas Dei pro-
missionum, ejusque magna potentia, cui ne totus qui-
dem mundus resistere potest. Quicquid unquam pro-
misit, præstigit bona fide, teste *Josueo, c. 23. 14.* Salomo-
ne, *1. Reg. 8. 24.* Hic sane omnia videbantur in Pauli ne-
ccm

ecum conspirasse: Cœlum, Terra, Aqua, Aér, Mare, Venti. *Mare* turbulentum vult cum deglutire; *Sol* ei lucem suam invidet & *Luna* atque *Stellæ*; *Ventus* non permittit venire in hunc; *Milites* perfidi vitam adimere cogitant; *Nautæ* aufugere. Verum, quia Deus promiserat eum Romæ futurum, omnia illa erant frustranca. Adeo certæ sunt Dei promissiones, etiam si eventus non statim respendet, imò prima fronte contrarium appareat. Liberatio populi Dei ex Ægypto promissa præstata fuit. Isaacum promissum etiam dedit; imò Messiam, Gal. 4.4.

R A T I O I. Quia ipse mentiri non potest, juxta testimonium, Tit. 1. ii. Num. 23. 23.

II. Quia seipsum negare non potest; quæ ratio est Pauli, 2. Tim. 2. 13.

U s u s C O N S O L A T O R I U s.

Hoc iterum ad consolationem nostram repetendum est, maximè nunc in ipsis mundi tumultibus, quos Diabolus eò excitat, ut fideles mundo ejiciantur. At boni simus animo. Promisit enim nobis suam præsentiam, estque verax in promissis. *Si ergo Deus nobiscum, quis contra nos?* cum hoc certè omnia discriminatur pertransibimus. Itaque planè non est, cur vel crucem & afflictiones metuamus: promisit enim opem; vel ipsam mortem: quia dabit vitam æternam. Ita enim Job 3. 24. loquitur: *Amen amen dico vobis qui sermonem meum audieris*, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnatione non veniet, sed transivit à morte ad vitam: illam nempe cœlestem & beatam; in qua dignetur nos SS. Trinitas, Pat. F. & S. S. quam primum transferre, Amen.

Eiusdem Partis Prioris Panis Peregrinationis.

PAVL

PAULI APOSTOLI
PEREGRINATIONIS
Cæsareâ Romam,

Pars Posterior

C O M P L E C T E N S

H Y P O T Y P O S I N
Concionum Prædictarum in vi-
gesimum octavum caput
Actuum Apostoli-
orum:

H Y P O -

107

HYPOTYPOSIS CONCIONUM

Practicarum in Cap. XXVIII. Actuum
Apostolicorum.

TEXTUS.

1. Et quum salvi evassissent, tunc cognoverunt insulam illam
vocari Melitam.
2. Barbari verò præstabant nobis non vulgarem humanita-
tem: accensa enim pyra acceperunt nos omnes, propter
imbrum urgentem, & propter frigus.

EXEGESIS.

Quid Apocalyptici victores reportata ex ho-
stibus suis victoria de operibus Dei protule-
runt, dicentes: *Magna & mirabilia sunt opera*
tua, Domine Deus omnipotens, Apoc. 5. 3. Hoc
nos etiam ad Pauli iter Romanum, ubi mirabilia omnipo-
tentis Dei se exeruerunt opera jure meritóve accom-
modare possumus. Nam ne ea, quæ in capite præce-
dente dicta sunt repetamus, certè hoc admirandum est,
quod quum Paulus ad Cæsarem ideo appellaverit, ut
violentas Judæorum manus aufugeret, Deus etiam alia
intendebat, quæ & gloriam nominis ejus Divini illu-
strarent, & Ecclesiam Christi amplificarent. Unde fa-
ctum est, ut non tantum in insula Melita Euægelium
Christi innotuerit, sed etiam Romæ multò illustriùs in-
claruerit quam antehac. De quibus jam ordine nobis
dicendum erit, repetita priùs totius Pauli peregrinatio-
nis generali divisione, facta Conc. I. Cap. 27. Ita enī
absol-

absolvimus ex quatuor partibus Pauli itineris Primam, nempe navigationem *autumnalem*. Tres reliquæ; videlicet *Hybernatio* in insula Melita. Navigatio *Verna*, & Romæ *Commoratio*, hoc 28. cap. describuntur. De iis jam, sequenti B. Lucæ ordinem, agemus, & primum de his duobus versibus; in quibus narrat Evangelista, quidnam cum illis actum, postquam periculo liberati omnes salvi evaserunt in terram. Et quidem ita, ut ostendatur,

I. *Quo terrarum fuerint delati?*

II. *Quomodo ab illius terræ incolis excepti?*

D E P R I O R I . V . I .

Ergo delati fuerunt *in Melitam insulam*. Duæ sunt hujus nominis insulæ: Una in Hadriatico sinu, inter Italiam & Epidaurum Epiri. Hinc catuli Melitei exportantur: Altera est in Siculo mari inter Africam & Siciliam, hodie Maltam vocant. In hanc Paulus & ejus comites delati sunt, & quidem omnes salvi, ut veritas divinarum promissionum constaret; nemo n. ex iis perire debuit, *Act. 27. 24. 34.* Insula fertilis, aer salubris & aqua mellis copia abundat, unde etiam *Melita* nomen habet. Hodie eam Milites vel Equites de Malta possident, qui adversus Turcam nominis Christiani hostem bellum gerunt. Melitam autem insulam esse demum cognoverunt, postquam in eam sunt expositi; & quidem ab incolis. Quum enim in navi essent scire non potuerunt, quia iis Sol & alia sydera per 14 dies non apparuerunt. Ergo delati sunt in locum sibi ignotum, non tamen sine Providentia Divina.

D O C T R I N A .

Ita solet Deus aliquando suos filios ducere ut illi nesciant quod ducantur, nec plenè intelligant, quid Deus cum illis agat. Hoc planum est ex hoc loco. Ita Abrahamus vocatus, exivit nesciens quo esset venturus, *Heb. 11.8.* Ita peregrinabantur Isac, Jacob, *ibid. v.13.* Abrahamus iterum jubetur immolare filium, & ignorat, quid Deus intendat, *Gen. 22.2.* Huc etiam pertinet exemplum Petri, *Joh. 13.7.*

R A T I O I. Procedit Deus ita ideo, ut *fidem & obedientiam nostram* exploret, imò nostrum erga se *amorem*. Num videlicet ita eum amamus, ut ad solum ejus mandatum omnia simus facturi, etiamsi modum ejus processus non percipiamus. Sic populum Israëliticum ducebat per 40. annos huc atque illuc, ut ejus obedientiam probaret, *Deut. 8.2.*

II. Quia Deus in obediendo sibi, vult nos spectare *non rationem nostram, sed verbum suum & voluntatem.* Ideoque non est cum ratione consultandum, exemplo Pauli, *Gal. 1.16.* Quemadmodum enim decet, ut jumenta nobis obsequantur: ita rationem nostram obtemperare oportet Deo.

U S U S I N S T I T U T O R I U S.

Discamus ergo etiam nos Dei mandatis obedire *contra omnem exceptionem, etiam in rebus carni nostræ difficilioribus:* nec attendamus, quid ratio suadet, sed quid Deus jubet: aut utrum intelligamus cur manderet, vel quo fine, vel non. Regula enim obedientiae nostræ est Verbum Dei. Hic cæca obedientia laudatur; itaque quo nos fata trahunt, socii retrahunt que sequamur. Nam obedientia Deo placet, teste Samuele, *1.Sam. 15. 22.*

Sacrificia sæpè reprehenduntur à Deo, *Esa. 1. v. 11.* Obedientia nunquam, *Jer. 7. 22. 23.* Etiam si ergo mandata Divina rationi nostræ obsona videantur, aut causæ nos lateant: tamen obediendum simpliciter. *Obedientiam enim fides exigit, non curiositatem; & quando Deus præcipit, morem oportet gerere, non curiosè inquirere.* Chrys. Hom. 27. in Epist. ad Rom. Rationem sequi quam sit detrimen- tosum, docet suo malo Saul, qui regnum ideo amisit *1. Sam. 15. 23.* Nec Naman valetudini fuisset restitutus, si illam sequutus esset, *2. Reg. 5. 13. 14.* E contra obedientiam promptam utilem esse, ipse Deus docet, *Deut. 28. 1. 2.*

D E P O S T E R I O R E. V. 2.

Valde humaniter tractati fuerunt ab istis Melitensi- bus. Ubi notanda sunt duo: 1. *Quomodo eos Lucas vo- cet?* 2. *Ipsa humanitas.*

Quod PRIMUS attinet, *Barbaros* eos vocat. Tales vo- cabantur, qui, ut loquitur *Strabo lib. 14.* difficulter, aspe- rè loquebantur, quasi dūriloqui, crassilingues. Tales initio habitu sunt omnes nationes præter Græcos, unde & Plautus Nævium Poëtam Latinum, *Barbatum* dixit. Deinde translato Imperio ad Romanos, Latini eos vo- carunt *Barbaros*, qui nec Latinè neque Græcè loque- rentur. Barbari habitu sunt etiam illi, qui eorum ling- vam inter quos versabantur, ignorarunt. Ita Ovidius Scythis fuit *Barbarus*, uti appareat ex ejus versu:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

Breviter, communiter Barbari sunt & erant homines illiterati, feri, moribus rudibus; quales habitu sunt isti Melitenses, qui tamen hæc vitia procul à se absesse pro- barunt sua humanitate & quidem non vulgari.

D'ē-

Aliquando Humanitas aliæque virtutes ibi inveniuntur, ubi non sperantur; & vice versa, ubi maximè putantur esse, ibi non sunt: hoc probant isti barbari. Et quis putasse Jonathanem posse tanto amore flagrare in Davidem, cujus Dominus esse debuit? *1.Sam.17.59.* Contra, quis magis amare debuit Jacobum quam Esau frater ejus? attamen odio prosequebatur eum, *Gen. 27.7.43.* Quis sperasset Nicodemum inter hostes Christi fore amicum, *Joh. 7.50.51.* cum ex discipulis ejus Judas prodierit proditor? *Matth. 26.48.* Eparchi & Satrapæ Regis Darii adeo fuerunt crudeles, ut Danielem innocuum inter Leones projicerent: Leones verò adeo humani, (ita dicam) ut ei parcerent, *Dan. 6.17--23.*

R A T I O. Quia virtutum propria sedes est in animo, quæ locum habere potest etiam in barbaris secundum opinionem vulgi hominibus. Vulgus enim tantum illos admiratur & magnificat, qui externam aliquam speciem præ se ferunt. Quod tamen saepius fallit. Laodicensium Ecclesiæ Angelus putabat se esse divitem, nullaque re sibi opus esse: cum tamen esset Christo teste, *ærumnosus, miserabilis, pauper, cæcus & nudus, Apoc. 3.17.* Lazarus verò omnium contemptissimus jacebat ad fores divitis: qui tamen fide in Christum ordinatus erat, *LUC. 16.20.21.22.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Quis ergo dona Dei ad certos homines alliget? aut ad certa loca? Ut ea omnia à Deo descendunt, teste Jacobo, *c.1.17.* Ita ipse ea distribuit pro ut vult, *1.Cor.10.8.9.10.15.* Ideoque ab eo solo sunt petenda.

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Hinc etiam insignis exsurgit fidelibus consolatio. Hodie non raro navis qua Ecclesia Dei vehitur naufragium facit; id est, Imperia turbantur, Regiones tumultuantur, Republicæ evertuntur. Verum Paulus, Lucas & Aristarchus, hoc est, Ecclesia & doctrina Dei non tantum salva evadunt, sed inveniunt Melitam, inque ea homines humanos. Itaque etiam si nobis exulandum sit, hoc nos soletur, posse Deum etiam crassissimorum hominum animos humanitate erga nos instruere, à quibus & recipiamur & humaniter tractemur. Qui enim hos barbaros subornavit, quidni posset adhuc? Non enim est ejus manus abbreviata, ut loquitur *Esaia. 59.1.* Nam est omnium Dominus, omnium habet corda in manibus suis, quæ potest flectere quo vult. Recte fuit Josepho etiam in Ægypto, *Gen. 40.40 45.* Nec male Danieli Babylone; ita semper verum est dictum Davidis, *Psal. 37. 25.*

Quod POSTERIUS attinet, ipsam humanitatem habemus u.2. Humanitas est, qua ad dilectionem nostram quibusvis, bortando, monendo, consolando, juvando testificandam propensi sumus: appellaturque dum peregrinis exhibetur Hospitalitas. Hanc Melitenses in naufragos nostros exhibuerunt. Eam vero Lucas describit; 1. Ingenerere; cum ait, *eam non vulgarem fuisse;* nempe eo respectu, quod exhibita esset Romanis & naufragis; id est, miseris: ubi non raro fit quod dici solet: *Cadente queru quilibet colligit ligna.* 2. In specie; accensa enim pyra acceperunt eos omnes: id est, non tantum ligna subministrarunt, verum illi ipsis etiam ea incenderunt.

3. Addit

3. Addit *causam*, quæ ipsos compulerit ad hanc humanitatem : ex parte insulanorum commiseratio : ex parte naufragorum magna miseria : nam & imber ac pluvia urgebat, & frigus.

D O C T R I N A.

Christiani cum in *genere* Humanitatis tum in *specie* erga peregrinos Hospitalitatis debent esse studiosi. Si enim hi barbari tantam exhibuerunt, multò magis decet eos qui barbari non sunt, nec esse volunt, sed Christiani. Præcipitur ea *Prov. 3. 27. Esa. 16. 3. 4. 12. 13. Rom. 12. v. 13. 1. Pet. 4. 9.* Exempla sunt, in Josepho, *Gen. 43. 16.* in Jobo, *c. 31. 32.* in Jasone, *Act. 17. 7.* in Gajo, quem ideo Johannes singulariter commendat, *3. Epist. v. 5--8.*

R A T I O I. Quia non possunt charitatem suam erga fratres melius declarare, quam hoc officio ; nempe in ædes eos recipiendo, cibum iis dando, potum, quietem ; eis inserviendo. Ubi enim hæc externa opera non sunt, frustranea est ibi gloriatio de fide & charitate ; uti argumentatur Jacobus *c. 2. 14--17.*

II. Quia hac ratione amicitia magis confirmatur & colitur, quam aliis largitionibus.

III. Quia est virtus per quam utilis, teste Paulo, *Heb. 13. 2.* Ubi sine dubio intelligit Abrahamum, *Gen. 18. 3.* Lothum, *16. 19. v. 2.* Quibus sanè ita accidit, ac si Piscator hamo in aquam injecto, loco pisciculi pretiosam extraheret gemmam. Raab verò per hospitalitatem in vita est conservata : vidua illa filium naclla, *1. Reg. 17. 17. 23.*

U s u s E x h o r t a t. & D e h o r t.

O quam rara est hæc virtus hodie, ubi nec rectum subire licet nisi bene persolvas, & utinam tutò ! sed mul-

tis in locis de vita periclitaris. Hic nobis jure excludendum; ô tempora, ô mores! In primitiva Ecclesia Hospitalitatis erant observantissimi. Episcoporum enim domus erant peregrinorum ob Euangelium exulum Diversoria, ubi hospitibus vetulæ inserviebant, 1. Tim. §. 10. Inde fuit; quod hospitalitatem facerent tertiam notam Religionis Christianæ, ut ex Tertull. patet; 1. Erat communicatio pauperum. 2. Appellatio fraternitatis. 3. Contesseratio hospitalitatis: Per tessera intelligit certum signum, quod qui habebat, ubique terrarum à Christianis etiam ignotus recipiebatur. Illud autem erant 4 Græcae literæ: π, υ, α, ρ: id est, μαθητος, απόστολος πνευματικος. Sed adhuc circa Annum D. 1020. hæc virtus vigebat. Burchardus n. Episc. Wormatiensis visitando suas parochias diligenter inquirebat in eos, qui peregrinos non exciperent, quos poenitentia afficiebat. Nos itaque hanc virtutem nobis habeamus commendatissimam. Deus præcipit, Exod. 22. 21. Exempla ad imitandum invitant, & quidem cum gudio ut faciamus; uti Zachæus, Luc. 19. v. 5. 6. Tales enim diligit Deus, 2. Cor. 9. 7. 8. & cum desiderio, uti Lydia, Act. 16. 15. Imò præmia alliciunt: Deus enim non tantum in futura vita largiter recompensare promittit, Matth. 25. v. 35. Inhumanos vero Gergesenos, Matth. 8. 34. Ægyptios, Exod. 1. 1. Diotrephen, 3. Joh v. 8. 9. poena afficiet, Matth. 25. 44. Verum etiam in hac vita retribuere solet, uti ex adductis exemplis paret: quo pertinet etiam exemplum illius mulieris, quæ Eliseumcepit hospitio, & singularem accepit remuneratio mem. 2. Reg. 4. v. 8.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S II.

Textus. Actor. 28.

3. *Quum autem conuerisset Paulus nonnihil sarmendorum, & imposuisset in pyram, vipera & calore prodiens arripuit ejus manum.*
4. *Ut vero Barbari viderunt pendentem bestiam e manu ejus, alii alii dicebant; omnino homicida est homo iste, quem postquam salvus evasit e mari, ultius non sinit vivere.*

E X E G E S I S.

ITa egimus de singulari Melitensium humanitate, qua miseris licet ignotos naufragos exceperunt. Jam agendum nobis de singulari quodam Casu, qui Paolo humanitate ista utenti accidit. Vipera enim manum ejus arripnit, occasionemque Paulo dedit gloriam Dei illustrandi inter Melitenses. Hunc casum ita describit Lucas, ut ponat;

1. Tempus. 2. Ipsum casum. 3. Judicium Melitensium de illo.

D E P R I M O. v. 3.

Quia frigus erat & pluviosus aér, Paulus colligebat sarmenda, id est, fasces virgultorum, ac in pyram imponebat. Et quidem recte; licet videri possit *opus servile*, non *Apostolicum*. Qui enim erat fidus socius periculum marinorum, volebat etiam esse comes commoditatis terrenæ. Interea vero dum laborat, opus bonum exequendo, vipera ob calorem profiliens, invasit ejus manum. Nullum ergo dedecus est, si Ministri Verbi

Dei laborando manibus suis Paulum imitentur. Hæc etiam Dei est consuetudo, ut aliquando piis, etiam quum vocationis suæ officiis invigilant strenuè, calamitatem aliquam immittat.

D O C T R I N A.

In primis verò Paulus suo exemplo docet, boni viri esse in communi periculo, miseriis & publicis calamitatibus strenuè laborem suum conferre, juvaréque onus portare, sive consilio, sive precibus, sive alio modo. Hoc ipse Deus omnibus mandat, per Prophetam, *Joël. 2. v. 15. 16. 17.* per Apostolum, *Gal. 6. 2. Rom. 12. 15.* Ita totus Israël sub Samuele inclamavit Deum, *1. Sam. 7. 2. 3.* Sub Abia, *2. Par. 13. 14. 15.* Sub Josaphato, *2. Par. 20. 3. 4.* Ita ipse Rex Ninivitarum fecit & ejus cives, *Jon. 3. 6. 7. 8.* Quam ob causam jure Jonas reprehensus fuit, quod dum omnes alii in navi periclitantes ad deos quisque suos clamarent, ipse dormiret, *Jon. 1. 6.*

RATIO I. Quia otium omnibus & semper est interdictum, labor autem honestus mandatus. Ergo multò magis in publica calamitate. Hinc Paulus otiosos reprehendit, *2. Thess. 3. 11.*

II. Quia ille non est bonus civis, qui aliis laborantibus solus velit otiani & tantummodo spectator esse. Refert *Arist. in Polit.* Herculem ob id ab Argonautis relatum, quod in navi communes labores nauticos nollet subire. Huc etiam pertinet, quod olim Romæ tempore belli Punici accidit; ubi civis aliquis supplicio fuit affectus, quod tempore publicæ calamitatis è fenestra prospectasset corona ornatus.

U S U S I. C O R R E C T O R I U S .

Quod utinam attendant nonnulli ut se vocant spirituales, qui otio & delitius disfluunt! Nec in bonum publicum quicquam conferunt, atque ita Reipub. minus sunt uiles. Ideoque ponant sibi ob oculos Paulum, farmenta colligantem, & alias laboribus occupatissimum: uti & Lucas de eo testatur, Act. 18. 3. & ipse de se, 2 Cor. 3. 7. 8. In tales certe grave pronunciatum est antiquissimi judicium apud Socratem, Hist. Eccles. lib. 4. 19. Monachum si non laboret pro fraudatore & fure habendum esse.

U S U S I I. I N S T I T U T O R I U S .

Docemur itaque, labores honestos quemadmodum semper alias esse sequendos, juxta hortationem Pauli, Eph. 4. 28. Homo enim conditus est ad laborandum, Gen. 3. 9. Ita maximè in publicis calamitatibus & miseriis alteri adjumento esse debet. Exemplum Augustinus (lib. 8. Trium Quæst Q. 71.) proponit in cervis. Cervi, inquit, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera caput suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, ut lassatus sui capititis enere ille qui præcedit post omnes recedat, & ei succedat cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera suæ portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabili-
tatem.

D E S E C U N D O. v. 3.

Ipsum illum casum vel potius periculum habemus

in verbis: *Vipera è calore prodiens arripuit ejus manum.*
Vipera est serpentis genus venenosissimum; ita dicta,
sive quod vi pariat: vulgo enim persuasum est, pullos
erosis matris lateribus cum interitu ejus erumpere; *sive*
quod ægrè & difficulter pariat: nam in singulos dies
unam viperulam parit, cum sæpenupcero ad viginti in
utero habeat; vel, quod verisimilius est, quasi vivipera,
quod non ova, ut cæteri serpentes, sed vivum pariat
animal. Utat sit, hoc est certissimum, venenū ejus esse
pestilentissimum & immedicabile, odium verò in ho-
mines implacabile. Unde jam constare potest, terribilem
fuisse hunc casum, & ingens periculum, quod ipsi Paulo.
potuit magnum incutere timorem. Adeo n. scribitur
esse venenata, ut ipso sibilo ita possit hominē inficere, ut
infecti necesse habeat aut statim emori, aut diu ægrotare.

Quid verò tecum fit ô Paule, vas Dei electum; atqui
vix uno periculo liberatus es, & jam in novum incidisti?
in mari servatus es, in terra peris?

D O C T R I N A .

Verùm in te exprimitur atque depingitur vivis co-
loribus vita atque conditio piorum, qui ex una calamiti-
tate in aliam incident; semper malis sunt expositi. Vix
Paulus in terram salvus evasit, nondum rectè vires re-
collegit, adhuc friget, madet: & iam à novo malo
circumvenitur. Talis est vita piorum, teste Davide, Ps.
34.20. Paulo, Act.14.22. Vita eorum est catena ex mul-
tis annulis composita. Sæpius incident in scyllam, dum
volunt vitare charybdin. Adeo ut rectè pronuntiaver-
it de se Jacobus, Gen.47.9. Et Jobus, cap.7.1. Qui hoc
in eum suo exemplo illustrat. Sic Israëliæ periculo quod
eis à

els à Pharaone imminebat liberati, paululum progreſſi, laborant ſiti, *Exod.* 15. 22. Deinde, inveniunt quidem aquas, ſed eis præ amaritudine bibere nequeunt, *ib.* 23. Statim eos fames excipit, *Exod.* 16. 4. Iterum ſitis, *Exod.* 17. 1. Mox metus Amalecitarum invadit. Hinc Paulus loquitur, *2 Cor.* 11. 24--29.

R A T I O I. Non quod eos Deus odio prosequatur, ſed ut eos apud ſe in fide & pietate retineat. Homo enim perquam facile Deum defert, quum ei res feliciter ſuccedunt. Ideoque Deus ipſe monet, ne ſaturati ejus obliviscamur, *Degut.* 8. 10, 11. Et Agur orat, non dari ſibi nimias divitias, *Prov.* 30. 8.

II. Quia pii etiam ſæpius delinquent: ſæpius ergo merentur caſtigari. Nam quia nos nō definiimus peccare, Deus etiam non definiit nos flagellare. Vide *Dan.* 9. 14.

U s u s I N S T I T U T O R I U S .

Itaque ne nimium moveamur continua illa cruce & afflictione Dei Eccleſiae ejusque membrorum: nec offensi ab ea diſcedamus, quod Judæi fecerant, *Jer.* 44. 18. 19. Calamitates enim piorum non ſunt ira Dei ſignum, ſed amoris, qui hic caſtigat, ut in vita altera parcat. Hæc est propria eorum conditio; ut enim Sole lucente corpus tuum ſemper umbra ſequitur, ita pios crux: quam nobis Optimus Deus imponit, ut vitæ æternæ majore dulcedine perfundamur. Quemadmodum enim Sol diu nubibus obtectus lætius poſtea ſplendet, & Ver post Hyemis triftitiam eſt acceptius, & jucundius poſt tempeſtatem mare quietum: ſic poſt afflictiones nobis vita tranquillior. Adhæc conformatos vult eſſe imagini Fili ſui, hic in cruce, in cœlo in gloria,

gloria. Annon verò ipse continuis calamitatibus fuit exercitatus? imò verò tota ejus vita nil nisi passio fuit pro nostris peccatis. Itaque quò quis magis affligitur, èd similior est Domino suo, qui eum tempore suo præcæreris majore ornabit gloria, *Rom. 8. v. 18.* Constantia nobis opus est: sicut enim qui seminat per hyemem, nō deterretur ab opere propter hyemem; sic & nos presura mundi non debemus à bono opere deterreri: quia qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.

D E T E R T I O . v. 4.

Judicium Melitensium de Pauli casu habemus *v. 4.* Probè eis constabat, quam venenatum fuerit hoc genus serpentium: hinc impossibile rati, quin moreretur, ex gravitate pœnæ gravitatem peccati eliciunt. Num autem gravius esse potest homicidio, quod in eum committitur, qui ad imaginem ipsius Dei conditus est? Ideoque jam inde ab initio mundi homicidium pro magno peccato habitum fuit. Tales non tantum Lex Divina jubebat interficere, sed etiam leges humanæ Ethnicorum, quas ab instinctu naturæ didicerunt. Utī verò in eo laudabiles sunt Melitenses, quod homicidium grave peccatum agnoscerent, ultionéque Divina dignissimum; ita in eo vehementer sunt lapsi, quod Paulum esse homicidam affirmarent. Mala enim est argumentatio: *Paulus morsus est à viperā: Ergo est homicida.* Non enim omnes sunt homicidæ, qui à viperis mordentur: imò nec omnes mali, cum idem bonis sœpe accidat, quod malis.

D O C T R I N A.

In istis Melitensibus habemus imaginem hominum

carnalium, qui malè ex afflictionibus de hominis pietate certò judicare solent. Hoc enim malum & temerarium est judicium. De talibus conquerebatur David, Psal. 3. 3. & 69. 27. Tales erant hostes Christi, Matth. 27. 42. 43. Luc. 23. 36. 39. Jobus etiam ex cruce sua ab amicis judicabatur impius; sed falso. Quum Johannes Hussus ob Euangelicam veritatem combureretur, & jam asseri alligatus quendam rusticum conspiceret ligna adferentem blandè subrisit, atque hæc verba Hieronymi clare protulit: *Sancta simplicitas*. In *Actis Joh. Husi*. Putabat enim rusticus ille extremè eum impium esse, quem Praëlati illi tantæ afflictioni adjudicarunt. Ergo hinc jam apparet eos falli, qui ex externis de alicujus pietate vel impietate certò judicant.

R A T I O I. Quia res externæ, prosperitas, adversitas, &c. talia sunt, quæ tam bonis quam malis evenire possunt, (*dissimiliter tamen*) teste Salomone, Eccles. 2. 14. 15. 16. Imò sèpiùs contingit impios hic florere, Psal. 92. 8. pii vero ut malefactores habentur. Hinc Micheas incarceratur, i. Reg. 22. 27. Jeremias in foveam demittitur, Jer. 32. 2.

II. Quia crux & afflictio, quæ putatur esse poena, non semper est poena peccati, sed aliquando gloriæ Divinæ manifestatio. Exemplo est cæcus natus, Joh. 9. 6. 1. 2. Huc referri possunt etiam Galilæi, illi, & ii quos turris Siloë oppressit, Luc. 13. 1. 4.

U s u s I. C O R R E C T O R I U S.

Malè ergo illi faciunt, qui ex splendore imperii, ex magnitudine victiarum, de Religione judicant. Ciceron sua ætate adeo offensus fuit servitute populi Dei,

HYPOTYPOSIS

ut noluérit Ecclesiæ doctrinam recipere. *Sua cuique, inquit, civitati Religio, Læli est: nostra nobis; stantibus Hierosolymis peccatisque Judæi: tamen istorum Religio, sacrorum à spendorre hujus Imperii gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebit, nunc verò hoc magis, quod illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis, quam chara diu immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, &c.* In eodem numero sunt illi, qui notam veræ Ecclesiæ temporalem felicitatem fecerunt, cum tamen Christus eam in mundo habituram esse ait afflictionem, *Job. 16. 33.*

USSUS II. HORTATORIUS.

Nostrum verò officium est, uti adjungere nos gregi pusillo: ita cavere ne temerè ex adversis de quoquam certò judicemus, interdicente Domino, *Matth. 7. v. 1. 2.* Non enim omnis est reprobatus à Deo, qui hic affligitur: nec pius, cui res feliciter succedunt. Deus enim promiscuè utrísque immittit crucem: David verò beatum illum pronunciat, qui non judicat temerè de afficto, *Psal. 41. v. 1. 2. 3.*

HYPOTYPOSIS CONCIONIS III.

Textus. Actor. 28.

1. At ille excussa bestia in ignem, nihil mali passus est.
2. Illi verò exspectabant dum intumesceret, aut concideret repente mortuus: sed quā multum tempus exspectassent, & viderent nihil incommodi ei accidere, mutati dicebant eum esse Deum.

EXEGESIS.

PRoximè præcedente Concione habuimus grande Pauli periculum, & vulgi de eo judicium: jam sequitur, quomodo se Paulus in ea gesserit. Describit itaque hic Lucas;

1. Liberationem Pauli ex periculo. 2. Eventum, seu quid interim egerit populus.

DE PRIORÆ V. 5.

Ubi iterum duo habemus: 1. Modum liberationis.
2. Eius consequens.

Quod PRÆVIUS attinet; Modus est in verbis: *At Paulus excussa bestia in ignem.* Modus ergo fuit in *excusione*. Nihil commotus fuit Paulus hominum illorum iudicio, quo eum homicidii accusabant; neque metuit viperam sibi posse nocere; neque exhorruit ad tam improvissum, & quidem in honesto labore, casum. Quinimo animo forti & impavido executit bestiam in ignem. Ecce vero? quia bonam habuit conscientiam.

DOCTRINA.

Natura hominum nihil mali sibi conscientum, fideliū & piorum est, ad nulla pericula, ne mortem ipsam commoveri, verum animo fortis esse, testatur David, *Psal. 112. 7. 8.* Certè Paulus hic nihil timuit: scivit enim debere impleri promissionem Christi, *Marc. 16. v. 18.* Idem videre est in Davide, *Psal. 3. 7. & 27. 1. 2. 3. & 56. 5. 12.* In Jonathane, qui solus cum suo armigero adoritur Philistæos eosque cœdit, *1. Sam. 14. 7.* In Ezechia, qui etiam alios Judæos contra Assyrios solabatur, *2. Par. 32. 7.*

RATIO I. At unde eis tanta animositas? Ex Doc
præ-

præsentia. Sciunt enim Deum sibi esse præsentem. Jam autem ubi Deus præsentia suæ gratiæ & potentiae adest, quid est, quæso, quod posset nos turbare? Hoc cum videret David, ait, *Psal. 46. 2. 3. & 23. 3. 4.* Exemplum vide in Eliæxo & ejus servo, *2. Reg. 6. 15. 16.* Hinc Paulus fidèles ait factos esse potentes ad omnem tollerantiam, *Coll. 1. 11.* Ideoque concludit; *Si Deus nobiscum, quis contrarios?* *Rom. 8. 31.*

II. Ex pace, quæ provenit ex bona conscientia. Hæc est mille testes illorum innocentiae. Et quemadmodum qui trans murum sunt nihil timent: ita illi. Nam murus aheneus est, *Nil consire sibi nulla pallescere culpa.* Atque ideo hæc pax singularem habet commendationem, *Phil. 4. 7.* Unde est, quod neque hostium minitationes timent cum Davide, *Psal. 118. 6.* Ita Tiburtius Martyr, cum Torquati tyranii & carnificis tormenta omnia contempseret, causam hujus contemptus & magnanimitatis subjunxit dicens: *Omnis nobis viles est pars, ubi pura est comes conscientia.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S & Admonitorius.

Qui ergo non vult timere in die mali, habeat cum Paulo bonam conscientiam. Si enim bene egerimus quæ nobis male faciet? Apostolo dicente, *1 Pet. 3. v. 13.* Hinc quicquid adversi accidet, minimè turbabimur, sed perpetua fruēmur pace & tranquillitate: certi erimus de bono malorum eventu, securi de Dei præsentia: ita continuum habebimus in animis nostris convivium. *Re-*
venivium: Ita licet pro Euangelio sit patiendum, ho-

lles alloquemur sic; *Cum omni saevitia vestra concertamus, etiam ultrò erumpentes, magisque damnati quam absolti gaudemus.* Tertullian. ad Scap. Tyr. Et just. in apol. i. Quanò magis in nos saevitur, tanto plures pietatem profitemur, haud secus, quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem. Si autem mors advenerit, cum Paulo dicimus, 2. Tim. 4. 7. 8. & S. Hilarione, qui moritus sibi ipsi dicebat: *Egredere anima mea, quid times? septuaginta propè annis Christo servivisti, & mori times?* Itaque quicquid evenerit adversi, animosè cum Davide, ex Psal. 46. exclamabimus: *Etiam si fractus illabatur orbis, Impavidam ferient ruinæ.*

Quod POSTERIUS attinet; Consequens est in verbis: *Nihil mali passus est.* Nec euim tumor ullus consequitus fuit, nec signa morsus venenati. Hic verò impleta fuit promissio Dei, Psal. 91. 13. & Christi, Luc. 10. 19.

D O C T R I N A.

Hæc pestilentissima vipera, imago est antiqui illius serpentis, & draconis, qui hodie quoque Pauli manus, id est, homines fideles invadit, eosque arripit. Quod variis modis exequitur; astutè eos circumveniendo & ad peccata alliciendo: tyrannos contra eos & persecutions excitando: errores, schismata & hæreses in Ecclesia disseminando. Verùm uti hæc vipera Paulo nūl nocuit, ita omnium hostium & ipsius Diaboli frustanei sunt conatu, teste Davide, Psal. 37. 12. 13. Jobo, c. 15. 34. 35. Esaias, c. 33. 11. Exempla habes, in Davide, cui hostes suis fraudibus non nocuerunt, sed sibi ipsis, Psal. 9. 16. 17. In Christo, contra quem sexcentæ machinationes Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum, ut cum

caperent & perderent, fuerunt irritæ, *Matth. 12.14.15.* &c. *et 21.46. Job. 11.57. & 12.v.19.* In Paulo, cuius vitæ Judæi insidias struebant Damasci, sed vano conatu, *Act. 9.24.25.* &c. alibi. *Act. 20.3.19. & 23.16.* Huc pertinet, quod saepè numerò cruentæ bestiæ, ursi, pardi, leones, &c. in Theatris Ethnicorum contra Martyres producti, illos inoffensos siverunt. Porci, eorum corpora, quamvis hordeo & glande tyrannorum jussu referta, ut ad ea devoranda allicerentur, ne attigerunt quidem præ reverentia.

R A T I O I. Quia Diabolus non habet in sua potestate nocere pii. Deus verò est, qui ei, quantum sibi placet concedit, deinde verò dirigit ad suam gloriam, teste Davide, *Psal. 21.12.* Ita Jobum affligere nequivit sine permisso Dei, *Job. 1.12.*

II. Quia Deus suos defendit & tuetur, juxta ejus ipsius promissum, *Zach. 2.9.12.* Itaque qui nocere vult eis quos Deus defendit, illi ipsi prius noceat est necesse.

III. Quia Deus conatus hostium Ecclesiæ suæ impedit. Expende exemplum Davidis & Saulis, *1 Sam. 19. v. 20. & seqq.*

Object. An verò non nocent, præsertim nunc, ubi innumeri pii afflitti & contempti jacent: Ecclesia dispersa, in exilium solitudinemque acta? adeo ut dicere possit ex *Psal. 74.9.10.* **Resp.** Possunt aliquantulum nocere; verum Ecclesiam funditus eradicare nequeunt. Promisit eam semper fore aliquam Ecclesiam, *Matth. 28.28.* Itaque hoc tamen verum manet, frustraneos esse eorum assultus & conatus: quod egregie exprimit Paulus, *2.Cer. 4.8.9.*

Usus CONSOLATORIUS.

Quare ergo tumultuantur gentes? &c. *Psal. 2. 1--4.*
 Hæc sit nostra consolatio, quod viperæ illæ licet fideles
 arripiant, mordere eos tamen sine permissione Dei
 non possunt: nihil illi, ut Paulus, patiuntur: frustrè
 conveniunt, frustrè consultant. Et si dubitamus, ve-
 niat nobis quæsto in memoriam status Ecclesiæ Dei à tē-
 poribus Apostolorum. Quoties Ethnici Christianos
 extirpare volebant, ad cāmque rem mutuas operas
 conferebant: ita dicam, totus mundus contra eos con-
 spiraverat, at quo fructu? nunquam tali quem illi in-
 tendebant, donec tandem defatigati conquiescerent,
 victasque manus Christo porrigerent, & ejus jugo cer-
 vicem subderent. Unde rectè Tertull. *Plures efficiuntur,*
quoties metimur à vobis. Et *augst. Epist. 3.* *Ecclesia inter*
inimicos augetur, persequitionibus crescit, per afflictionum
angustias usque in extremata terrarum dilatatur. Cōtra Wal-
 idenses, Apostolorum non interrupto ordine successores
 tota Gallia conspiraverat, exercitus ducebat, extirpare
 eos conabatur, etiam per adhibita tormenta, ejectio-
 nes, &c. Sed frustra. Deus enim variis modis conatus
 illorum frustaneos reddebat: jam per grandinem, jam
 per improvisam Regum mortem. Idem verò Deus nunc est,
 & in sua bonitate immutabilis. Ergo non sinet Dia-
 balum opprimere fideles.

DE POSTERIORE. v. 6.

Ubi duplex eventus describitur; i. Expectabant ut
 intumesceret & moreretur. Sciebant enim probè quā
 venenata & pestilens esset illa vipera. Nam adhuc erant
 in illa opinione, quasi Paulum homicidam Divina vin-

dicta persequeretur. Morsum venenatæ bestiæ consequitur primò tumor, deinde lenta facilisque mors. *Galenus* est author, Alexandriæ aliquando morem obtinuisse, ut sceleratos quosdam ita è vita tollerent, ut animalia venenata imponerent pectori illorum, quorum veneno infecti sine longo cruciatu moriebantur.

z. Verùm nihil tale Paulo accidit. Neque enim mortuus est, neque intumuit manus. Ideoque Melitenses tanto miraculo viso, animos & sententiam mutant, paulò in melius, dicuntque eum esse deum. Recetè quidem jam agnoscunt eum non esse homicidam: sed in eo peccant, quod eum deum faciant, quasi non daretur tertium. *Prius* nimiùm malè de eo sentiebant, *nunc* nimis bene. *Prius* peccarunt in defectu, *nunc* in excessu: quemadmodum impii semper in extremis peccare solent. Ut autem initio casus ille Paulo ignominiosus videri poterat; nam venerat in suspicionem homicidii: ita deinde gloriosus illi fuit, postquam illa prava suspicione fuisset liberatus.

D O C T R I N A.

Omnis piorum afflictio, quanquam in principio & medio adversa videtur, bonum tamen & lætum habet exitum. *Paulus* ob insolentem illum casum homicida fuerat habitus: deinde verò ab illis propter cundem veneratus summopere. Hinc rectè David, *Psal. 34. 20.* Petrus, *z. Pet. 1. 6. 7.* Paulus, *Hebr. 12. 11.* Josepho sancè carcer profuit, *Gen 41. 40. 41.* Mardochæo, quam patiebantur ab Hamano, persequuio, *Esth. 6. 11.* Illi qui venerunt ex magna afflictione non esuriunt amplius neque sitiunt, &c. *Apoc. 7. 14. & 21. 4.*

R A T I O I . Quia iis qui Deum diligunt, omnia cooperantur in bonum, Rom. 8.28.

R A T I O I I . Quia ejusmodi crux non in malum finem à Deo immittitur, sed in bonum: nempe ut explorentur in virtutibus Christianis: uti hoc Apostolus illustrat simili ab auro per ignem purgato, 1. Pet. 4.12. Et sicut uniones fiunt generosiores in magna vi tempestatum; ita certo consilio Deus vult nos in hac vita cruci esse subjectos, ut in singulis nostrum crescat lux fidei, agnitionis Dei, invocationis, patientiae, constantiae. Exemplum est in Episcopo Ephesino, Apoc. 2.3. & Pergamensi, Apoc. 2.13.

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Quoties ergo nos etiam Dei causa aliquid patimur, ne offendamur cruce; sed finem latum expectemus. Quo nos ipse Salvator solatur, Joh. 16.21.22. Milites sumus in bello Christi. Militi verò tantum abest ut necessitatibus conserere, ut potius majori honori subserviat. Ita nobis æterno cedet, juxta Christi promissum, Apoc. 3. 4. 21. & 2. 7. Ubi nulla erit afflictio: sed erit plenum gaudium, non erit amplius bellum, sed pax alta: non prælium, sed victoria & triumphus æviterus.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S IV.

Textus. Actor. 28.

7. Cæterum circa locum illum erant prædia primario insulæ illius, nomine Publio, qui nos exceptos, triduo peramicè hospitiis exceptis

8. Factum est autem, ut pater Publili febribus ac dysenteria detentus, decumberet: ad quem Paulus ingressus & precatus, impositis ei manibus, sanavit eum.

E X E G E S I S.

Hactenus de iis à nobis actum est, quæ Paulus apud Melitenses sive mali, sive boni passus fuerit: sequentur jam ea quæ ibidem egerit; & quidem tam respectu Publili illius iusulæ Magistratus, quam aliorum insulanorum. Primit habemus v. 7. 8. Ubi Lucas describit miraculosam sanationem Publili patris febricitantis. Procedit vero eo ordine;

1. Describit illum Publum, cuius patrem Paulus sanitati restituit.
2. Morbum.
3. Ipsam sanationem.

D E P R I M O. v. 7.

Ipsum nomen *Publili* arguit hominem fuisse Romanum, eumque non vulgarem: sed inter alios in primisque Melitenses clarum. Ita vero eum describit, ut dicat; 1. Fuisse eum *divitem* & *opulentum*. Nam erant illi prædia, id est, tam urbanas quam rusticas possessiones habebat. Et certè opulentia ejus vel ex eo apparet, quod personas 276. per triduum aluerit. 2. Fuisse *præmariū*, hoc est, principem inter alios: uti cives primarii dicuntur, qui primi sunt in civitate. Non erat tamen ille summus hujus insulæ Dominus, sed Romani. 3. Fuisse valde *hospitalem* vel *humanum*. Nam hospitia excepit, 1. Omnes. 2. Tractavit amicè. 3. Idque per triduum.

D O C T R I N A I.

Quanquam humanitatem, beneficentiam & hospitalitatem omnes exercere debent; in primis tamen eas virtutem

virtutes sibi familiares reddant divites, exemplo hujus *Publili & Achis Regis* Get, qui Davidem una cum tota familia excepit, *1. Sam. 27. 2 - 6. Pharaonis*, qui Adado exuli & domum & cibum & terram dedit, *1. Reg. 11. 18. Bozi*, Rutham humaniter tractantis, *Ruth. 2. 8. 9.* Ideoque Paulus hanc virtutem divitibus vult singulariter esse commendatam, *1. Tim. 6. 17. 18. 19.* Exhibeant verò eam erga omnes, non tantùm erga aliquos; erga suos amicos aut familiares, verùm etiam erga exterros. Non enim sunt iis imitandi angues qui in Syria reperiuntur: nam illi erga indigenas venenum non habent, nec eos petunt; exterros verò cum cruciatu exanimant.

R A T I O I. Quia mandata Dei de humanitate præstanta, tam ad divites quam alios spectant, *Hebr. 13. v. 2. 1. Pet. 4. v. 9.*

II. Quia Deus ideo eis plura bona dedit, ut ea aliis distribuerent. Non enim tibi soli data sunt ô homo, sed etiam in usum tui proximi, docente Christo, *Luc. 16. 9.* Hinc divites aliis bene non facientes reprehenduntur, ut Nabal, *1. Sam. 25. 10. 11.* Dives ille, *Luc. 16. 19. 21.*

III. Quia opulentissimis etiam accidere potest, ut pauperes sint, aliorūmque ope indigeant: ut exempla bodie plus satis docent. Homines enim sunt, ergo nihil humani alienum à se putare debent. Ideoque rectè ab antiquis dictum: *Quemcunque hominem videris, miserum esse scias.*

U s u s H O R T A T O R I U S .

Horum ergo memineritis ô vos divites, qui putatis aliorum egestatem & paupertatem vel defectus ad vos non pertinere; immò vero. Ergo beneficiēdo ne segnescastis,

tis, ut monet Paulus, *Gal. 6. 9. 10.* Divitias vestras nolite in cistas recondere, nec in terram defodere, nec tineis & erosioni corrumpendas committere, sed date ea per manus pauperum Deo, fœnori, *Prov. 19. 17. Matth. 25. 40.* Nec à vobis negligendi aut contemnendi sunt alii. Cur enim ob divitias vel honores superbiatis, illos vero despiciatis? Nam estis quidem in libro Creaturæ literæ maijores, quæ in terra majus spatum occupatis, quam pauperes. Nihilominus tamen illi etiam in eodem libro sunt literæ, quanquam minutiores. Una dies, itò hora infelix omnia quibus superbis eripere potest. Videte Jobum, septuaginta Reges, micas sub mensa colligentes. Adonibezekum, *Jud. 1. 7.* Polycratem Regem Samiorum, qui adeò felix erat, ut optaret aliquod infortunium experiri, quo scire posset, quid esset lugere vel tristari: nihil tamen accidere potuit quod eum tristitia afficeret; donec tandem ab hostibus victus in patibulo esset suspensus. Bellisarium, qui hodie Imperator militum est, & in magno pretio habetur: cras excæcatus stipem cogitur petere, dicens: *Date denarium Bellisario.* In primis mementote, ut in exules Christi sitis beneficijs fructum proponit Dominus, *Matth. 10. 41. 42.*

D O C T R I N A. II.

Nullum dubium est, quin Publius iste deinde fidem Christianam amplexus fuerit: itò *Euseb. lib. 4. cap. 23.* narrat, eum Athenis Dionysio successisse in Episcopatu: tandem etiam martyrio coronatum. Docemur itaque hoc exemplo, Deum in sua Ecclesia habere homines etiam claros & divites; licet non adeo multos, tamen aliquos, uti hoc loco *Publum.* Potest enim aliquis divi-

tias justas possidere & simul Deo servire. Nam divitiae sunt benedictio Dei, *Prov. 10. 22.* Ideoque Dominus noster non dixit, non potestis Deo servire & habere divitias: sed non potestis Deo servire & divitiis, *Matth. 6. 24.* Tales vero fore in Ecclesia promittit Deus, *Eze. 49. 23.* Tales erant, Abdias, *1 Reg. 18. 23. 4.* Magi, *Matth. 2. 1. &c.* Nicodemus, *Joh. 3. 1.* & alii in scriptura ubique obvii.

R A T I O I. Quia apud Deum non est personarum respectus, neque conditionis aut aetatis. Neminem a salute rejicit; sed vult omnes salvos fieri, teste Paulo, *1 Tim. 2. 2.* Petro, *Act. 10. 34.*

II. Ut semper aliqui sint, qui tempore necessitatis, paupertatis, famis, exilii, persecutionis, possint aliis fratribus succurrere; qui Christum, uti Josephus & Nicodemus sepeliant; *Eleemosynam Hierosolyma* mittant, ut Macedones; *Rom. 15. 26.* qui Paulum naufragium amicè excipiant, ut Publius hoc loco. Quod qui non faciunt sciant se a scopo divitiarum sibi collatarum graviter aberrare.

U S U S I. R E F U T A T O R I U S.

Quod contra eos facit, qui divitias abjiciunt, & paupertatem peculiarem statum vitae tanquam perfectiorem faciunt: existimantes se non posse in caelos ingredi, si divitias possideant: cum tamen jam ostensum sit, etiam divites locum habere in Ecclesia Dei & ejus Regno. Divitiae per se non damnantur, sed earum absus. *Dives* non propterea fuit damnatus, quod fuerit *dives*, sed quod malae vitae: nec *Lazarus* in sinu *Abrahæ*, quod pauper, sed quod pius fuerit.

U S U S II. C O N S O L A T O R I U S.

Itaque hoc soletur primam vos divites, quod etiam
vos jus habeatis à Deo vobis datum in Ecclesia habi-
tandi. Unde Paulus non dicit, quod nullus nobilis sit
vocatus, sed quod non multi, *1 Cor. 1.26.* Deinde paupe-
res, exules confidite: nunquam deerunt, qui vobis be-
nè faciant, quia Deus habet in Ecclesia divites, eo fine,
ut vos sustentent. Ponite vobis ob oculos hæc dicta:
Esa. 16.12. 13. al. 16. 3. 4. & 49. 23.

D E S E C U N D O . v. 8.

Morbum habemus in verbis: *Factum est autem, &c.*
Duplex genus morbi ponitur. *Primo*, laboravit *ex febri*.
Febris à feritate dicta; quod quem invadit ferè tractet,
id est, durè: vel potius à fervore. Est enim intempe-
ries calida totius corporis. Plurali numero utitur Lu-
cas: ut exprimeret induratum fuisse morbi malum, &
ferè incurabile; quale sit si febris in habitum abeat.
Deinde, detinebarur etiam *dysenteria*: quæ est intesti-
norum exulceratio cum inflammatione & excretione
sanguinolenta, ventrem magnis doloribus tormenti-
būque exercens. Sed vulgo satis notum est utrumque
genus. Inde apparet hunc tanti viri Pubpii patrem gra-
vissimè decubuisse: ideoque dicitur istis morbis deten-
tus fuisse lecto, hoc est, tanquam catenis vinclitus & le-
stulo alligatus.

D O C T R I N A .

Hic ægrotus speculum est miseria humanae, cui omnes
omnium ætatuum, conditionis & status homines ob-
noxii sunt. Nemo enim est, qui non variis morbis, æ-
gritudinibus subjectus sit: per quæ primò vires cor-
poris debilitentur, & tandem ipsa vita amittatur. Adde
alias

alias calamitates innumeratas. Testis est Job, cap. 3. 19. 20. & 14. 1. 2. Moses, Psal. 90. 10. Unde Aug. Manual c. 8. Vitam hominis ita describit: *Vita laboriosa, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escae instant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitia consuunt: solicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiae jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mæror deprimit, diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro delectatur, anima excoecatur, totus homo perturbatur.* Et huius tot ac tentis malis mors furibunda succedit, vanisque gaudiis ita imponit finem, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. Pater Publili dives, clarus, sed ægerrimus. abigail opulenta & pia, sed quæ matitū habet stultum, i. Sam. 25. 25. abraham dives, sed sine prole. Et quis est, qui non aliquas experiat molestias? Quotus tamē quisque est, qui haec rectè perpendat, & in fontem hujus misericordiae inquirat? Hippocrates ait causas morborum esse *vel ex diætis, vel ex spiritu, quem attrahimus; alii excessum caloris aut siccitatis, &c.* Rectè; si species naturales causas: at si scripturam legas, invenies etiam alias, quæ *vetus fons* sunt *omnis humanæ misericordiae*, nempe:

RATIO I. Peccatum Adami; uti Deus comminatus fuerat, Gen. 2. 17. Morte nimis non tantum spirituali, corporali, & æterna; sed etiam afflictionum, quo sensu vox mortis sumitur, Exod. 10. 17.

II. Varia uniuscujusque peccata actualia, ut pater, Iac. 5. v. 15. Hinc Maria ob murmurationem fit leprosa, Num. 12. 10. Iustus Rex ob superbiam lepra percussus,

2. Par. 26. 19. Ezechias ob ingratitudinem morbo corruptus, Esa. 38. 1. Joas ob apostasiam, 2. Par. 24. 25. Iesu ob avaritiam lepra infectus, 2. Reg. 5. 27.

III. Aliquando immittit ea Deus ut manifesta fiat ejus gloria, teste Domino, Job. 9. 3.

IV. Ut per ea, plura conferat. Sic pater Publili fidem adeptus est. Inde miratur Gregorius, ecce Paulus hunc patrem Publili ex febri ægrum sanavit; Timotheum vero ex stomacho laborantem non? quia, inquit, *ille erat infidelis*; ut eum hoc miraculo & beneficio ad Christum converteret: Timotheum vero non, quia jam erat fidelis; itaque morbus ei fuit relictus ad exercitium patientiae.

U s u s I N S T I T U T O R I U S

1. Quod eo facit, ut forte & conditione nostra sumus contenti, neque aliam curiosè quæramus: quandoquidem nulla est, quæ non sit morbis variisque calamitatibus obnoxia. Quia enim quisque putat sibi in alio statu melius fore, hinc est, ut *Optet ephippia bos piger, optat arare caballus*. Sed frustra. Ubique miteria, crux & afflictio. 2. Deinde agnoscamus miteriam nostram, vel ut Simonides monebat, *ne obliviiscamur nos esse homines*: cinis sumus, ad miteriam nati, ut avis ad volandum, vel ut scintillæ prunarum in altum evolant, Job. 5. 7. Quoties vero incidimus in aliquem morbum, &c. de causa ejus cogitemus, nempe de peccato, quod se si o caveamus, & deploremus cum Ezechia, Esa. 38. 2. 3. & ad Deum configiamus cum Davide, Psal. 6. 1. & 51. 1. 2. Cum Nazianzeno: *Domine, Enervatus ego in lecto cubo, sed opem fer; sim strati, ut firmus bajulus ipse meis.*

DE TERTIO.

Ipsam sanationem habemus v. 8. in verbis: *ad quem Paulus ingressus, &c.* Modus sanationis exprimitur, 1. *Ingressus* est ad eum. 2. *Precatus* est. 3. *Manus ei imposuit*.

Horum eventus vel effectus fuit ipsa *sanatio*. Ita Paulus pro hospitalitate gratum se exhibit, confert vitam temporariam & æternam: Nam gratitudo debetur benefactoribus. Observavit autem Paulus in eo sanando modum à Christo observatum & Apostolis traditum, ut ostenderet se non sua sed Domini cui Christi eum sanare virtute. Hæc enim perpetua est differentia inter miracula Sanctorum & Christi. Illi ea non sua virtute edebant: Christus verò sua propria, quippe Deus verus ab æterno. Manuum impositio erat in usu in orationibus sacris, quando super personam aliquam invocabatur nomen Domini, quia persona illa quasi offerebatur Deo, additis supplicationibus, ut Deus illi benedictionem suam largiri dignaretur, *Marc. 16. 16. Jac. 5. 14. Act. 13. v. 3.*

DOCTRINA.

Hominis Christiani officium est visitare ægros, eisque succurrere in corpore & anima: juxta mandatum, *Esa. 58. 7.* & exemplum Pauli, hoc loco, Jobi, *c. 31. 16. 23.*

RATIO I. Quia hoc Spiritus Sanctus jubet, *Gal. 6. v. 2. Rom. 12. v. 15.*

II. Quia hæc est proprietas veræ Religionis, *Jac. 1. 27.*

III. Quia hoc est Deo gratum, ut petet ex adducto loco, *Esa. 38. 7. 8. 9.*

USUSS HORTATORIUS.

Quoties ergo occasio offertur, ne eam negligamus, juxta hortationem, Gal. 6. 10. Non enim id in vanum fecerimus. Christus námque tale bonum opus sibi adscribit, & in extremo judicio recensere atque recompensare promittit, Matth. 25. 34.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S V.

Textus. Act. 28.

9. *Moc igitur facto, reliqui etiam qui infirmitatibus tenebantur in illa insula, accedebant & sanabantur.*
10. *Qui etiam multis honoribus nos honorarunt, & cum prævehceremur imposuerunt quæ usui nobis erant.*

E X E G E S I S.

DUobus præcedentibus versiculis habuimus ea, quæ Paulus egit in insula respectu Magistratus: in istis, sunt ea, quæ egit respectu populi insulan: quod eum à multis infirmitatibus sanaverit. Hoc verò effetus illius prioris miraculi erat. Postquam enim fama incēbuit, Publī pātrem miraculosè sanatum, reliqui ægri turmatim ad Paulum confluunt. Itaque Lucas describit;

1. Miraculosam Pauli sanationam mūltorum in insula Melita ægrorum.
2. Mirandam barbarorū illorum in naufragos gratitudinem.

D E P R I O R E. v. 9.

His brevibus verbis multa complexus est Lucas. Multa enim à Paulo ibi miracula fuisse patrata, afferit compen-

pendiosè; quia de singulis seorsim scribere nihil attinebat. Notat autem hic Lucas; 1. *Tempus*, aut si mavis, *occasione*. 2. *Subjecta*.

Quod *Prius* attinet, illud est in verbis; *Hoc igitur factò*; id est, postquam prius unus sanatus fuisset Publīi pater, reliqui insulanī quum viderent illum & fidē amplexum fuisse, & sanitatem recuperasse, accedunt etiam magno numero. Nec frustrantur spe; imò sanitatem corporis & animæ consequuntur, suaque ad fidem Christianam accessione egregie numerum Ecclesiaz augent.

D O C T R I N A.

Etiamsi alicubi pauci sint cultores Dei, tamen solet Deus deinde ibi magnos cōetus exstruere, augustasque Ecclesias ædificare. Ita in hac insula primò erat Publius, vel ejus pater tanium: deinde verò magna multitudo credentium. Hic valet illud Psalmistæ, *Psal. 113. v. 9.* & Prophetæ, *Esa. 54. 1. 2.* Hoc vide in Abrahamo ejusque familia, ubi primum cultus Dei vigebat verus; dein' in tota Judæa. *Pauciores* erant Christiani post Christi Ascensionem in cœlum: pauculis verò elapsis diebus excesserunt numerum 3000. Quum Deus reformaret Ecclesiam, in *Anglia* unus Wiclefus inclaruit: in *Bohemia* Hussius & Hieronymus: in *Germania* Lutherus, & pauci alii alibi. At deinde augustissimas ibi crexit Ecclesias. Ex parvis ergo initiis magnos sibi colligit eos: quod ipse Dominus declarat simili desumpto à grano simpi, *Luc. 13. v. 19.*

R A T I O I. Ut eò illustrior reddatur Dei potentia & sapientia, qui ex initiis exiguis magna potest facere; & ut Joh. Baptista loquitur, *ex lapidibus filios Abraham erigare*:

citare; Matth. 3. 9. id est, ex stupidis penique brutis hominibus, qui nihil adhuc divinum sapiunt, propterea que tanquam lapides sine sensu sunt, credentes excitare: quod exemplo horum Melitensium clarum est.

II. Ut successum, progressum & augmentum Ecclesie non alii quam soli Deo attribuamus: sciamusque rem & causam esse Dei, non hominum. Dei enim potentia in nostris infirmitatibus perficitur, *2. Cor. 12. v. 9.* Quemadmodum enim Ecclesia non regitur humanis consiliis & viribus, sed divina potentia; ita colligitur & conservatur.

U s u s C O N S O L A T O R I U s .

Quanquam ergo videmus hodie in nonnullis locis & regionibus cultores Dei ab ingratissimis Verbi Dei hominibus, rabie planè diabolica extirpari: nihilominus tamen hoc nos erigamus, Ecclesiam Dei non perituran. Licet enim hinc aut illinc omnes exscindantur fideles, tamen Deus Ecclesiam suam alibi vel inter Gentes, Turcas, Indos plantabit: educetque ex parvo grano sinapi magnam arborem regni sui. Ita enim postquam Orientales Ecclesiae Euangelium spreverunt, transtulit illud in Europam, ubi crassa antea viguerat idololatria.

Quod P O S T E R I U s attinet, Subjecti habemus in verbis: *Reliqui etiam. &c.* Ergo sanabantur reliqui, praeter Publum & ejus domum, quicunque aliquibus infirmitatibus & debilitate ex morbo contracta laborabant. Dicit eos accessisse ad Paulum: ut crucis utilitatem ostendat. Hæc enim nos ad Christum ejusque opem querendam dicit. Per illos autem reliquos infimos Lucas intelligit potissimum plebem, homines in mundo contemptos & abjectos.

D o-

DOCTRINA.

Deus noster neminem ad se venientem à gratia sua & salute repellit, sed admittit quosvis, non tantum dīvites Publius, sed etiam pauperes barbaros insulanos non tantum celebres, sed etiam abjectos: non tantum dominum, sed & servum. Hoc testatur Petrus, *Act. 2.21.* Paulus, *1. Tim. 2.4.* Ideoque Salvator noster *omnes* vocabat, *Matth. 11.28.* Et recipiebat non solum dīvites, Nicodemum, Josephum Arimathæensem, Adolescentem illum de quo *Matth. 19.23.24.* Sed etiam pauperes pescatores, Petrum & alios: *mendicos*, Lazarum: *contemptissimos* publicanos, Matthæum, Zachæum: peccatrices, *Luc. 7.48.* omnes peccatores, teste Luca, *c. 15.1.2.3.*

RATIO I. Quia non habet respectum personarum, *Rom. 2.11. Coll. 3.1.* Ideo Paulus dicit se omnibus, sapientibus & insipientibus esse debitorem, *Rom. 1.14.* Non enim Deus est, quales hujus mundi magnates, ad quorum aulas pauperibus non patet aditus: procul illic jubentur abesse prophani: & apud quos etiam illud Poëtæ valet: *Si nihil attuleris, ibis Homere foras.* Talis erat dives ille, *Luc. 16.20.* Ad cujus fores abjectus erat Lazarus pauper.

II. Quia Christus venit in mundum ut servaret quod perierat. Perierant verò etiam pauperes & abjecti homines.

III. Quia Deus elegit etiam ea, quæ à mundo sunt abjecta, ut loquitur Paulus, *1. Cor. 1.26.*

Usus CONSOLATORIUS.

Atque hæc est illa insignis consolatio, qua se erigere debent homines in mundo contempti; ecce glorioſi

estis in Dei conspectu; non obliviscitur vestri, sed tēa
centem foveat semper vestri memoriam. Attendite, ad
vos etiam pertinet Dei gratia & salus. Nam videtis hīc
Paulum fuisse missum non solūm ad Publīi patrem, sed
etiam ad alios insulanos. Ergo vos ad eum convertite;
vocat enim vos, *Esa. 55. 1. 2.* Neminem sitientem exclu-
dit. Atque inde in Sacris Historiis legimus, omnium
ordinum & conditionis homines ad fidem Christi
fuisse adductos. *Nobiles*, Principes, ut Nicodemum;
Officiarios, ut Matthæum; *Centuriones* & milites, ut
Cornelium & alios; *Piscatores*, *Pastores Rusticos*, & *Agri-
colas*.

D E P O S T E R I O R E. v. 10.

Jucundum hīc nobis certamen Pauli & Melitensiūne
ob oculos ponitur. Certant enim officiis mutuis, Gra-
tum se iis exhibuit Paulus pro Hospitalitate, ægros sa-
nande: sed & illi pro salute recuperata gratiam refec-
runt Paulo & aliis. Notat autem iterum Lucas;

1. Objectum gratitudinis. 2. Species.

Quod PR I U S attinet; Objectum innuit dum ait:
Honorarunt nos, & imposuerunt navi quæ usui forent nobis.
Ubi proculdubio intelligit non solūm Paulum, Lucam
& Aristarchum: verūm etiam alios omnes qui illius
itineris comites erant.

D O C T R I N A.

Natura hominum proborum & gratorum est, non
tantum ei soli benefacere, à quo sunt beneficiis affecti,
sed etiam propter eum aliis. Hic enim solus Paulus sa-
nabat: *insulani* verò propterea benefaciunt etiam aliis,
y. 10. Idem videmus in Davide, qui adeo gratus erat
ami-

amicitiæ, quam cum Jonathane coluit, ut propter eum filio ejus benefaceret, 2. Sam. 9. 7 -- u. Idem propter Dei in se collata beneficia, promittit se velle Ecclesiaz Dei benefacere, Psal. 122. 8. 9. Gratus fuit Pharao, qui propter Josephum benefecit toti domui Jacobi,

R A T I O I. *Communis fidelibus & infidelibus*: Quia natura eos docet gratitudinem benefactoribus deberi. Hinc ejus exempla videmus etiam in animalibus irrationalibus, in primis *ciconiis, canibus, &c.*

II. *Specialis & propria fidelibus*: Quia sciunt se esse filios Dei, quem ut in aliis ita in hoc imitari student. Nam Deus propter Christum nobis facit bene, in gratiam nos assumpsit, peccata condonavit, &c. Idem electorum causa tolerat mundum impium.

U s u s C O R R E C T O R I U s.

Quam ergo procul absunt à natura & indole hominum gratorum, illi qui Melitenses istos non imitantur! Illi verò multò longius, qui propter parentum peccata liberos innocuos graviter puniunt: etiamsi sit scriptum; Filius non feret iniquitatem patris sui, Ezech. 18. 2. 17. 18. 20. Nobis verò bonitas & misericordia Dei oculos observari debet, qui in Filio suo magnis nos afficit beneficiis, sanando à morbis spiritualibus, Psal. 103. 3. servando nos, Tit. 3. 4. 5. Cur ergo ob id non sumus grati etiam in proximos nostros? Hoc argumento Paulus eam virtutem in nobis excitat, Eph. 4. 32.

Quod POSTERIUS attinet, species gratitudinis duas recenset Lucas; 1. Priorem experti sunt, quum adhuc in insula commorarentur; nam multis honoribus erant honorati. Honor est reverentia quæ alicui exhibetur in

virtutis testimonium. Ita hic per honorem non est intelligendus honor aliquis vel cultus Divinus: talem enim Paulus non acceptasset, ut qui cum repudiaverat Lystræ, *Act. 14. 15.* Sed honorarunt eos, præsertim verò fideles, ita, quod de iis benè & magnificè *sentirent*, eos *Laudarent, commendarent*; pro viris bonis imò Dei amicis *haberent*: reverentiam eis *exhiberent* verbis, gestis, &c.

2. Posteriorem, cum jam ex insula excessuri essent: nam imposuerunt in navim necessaria, nempe quoad viatum; quum iis antea præsentibus de amictu providissent. Hæc est vera ratio Hospitalitatis, (ut Homerus ait,) *Liberaliter præsentem tractare, & abeuntem amicè dimittere.* Apparet verò fuisse ipsos bonos Pauli auditores: videlicet; *Verbi Dei factores*; statim enim in ipsis effectus fidei se exeruit. Nam fides per charitatem est efficax, *Gal. 5. 6.*

D o c t r i n a.

Exemplo horum Melitensium docemur; Plebis Ecclesiasticæ, vel auditorum Verbi Dei erga Pastores officium in primis duplex esse; I. *Affectum filiale*, erga eos gerere, eos magnificere, honorare, amare; precibus Deo commendare, ut Angelos Dei recipere, duplii honore dignos habere; juxta *Mandata. 1. Cor. 4. v. 1. & 16.10.11. Phil. 2.29. 1.Tim. 5.17.* Et Exempla; Galatarum, c. 4.14.15. Judeorum, *Hebr. 13. 17.18.* Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ orabat pro Petro incarceratedo, *Act. 12. v. 5.* II. *De rebus ad hanc vitam necessariis eis propicere*, tempore persequutionis eos non deserere, sed defendere, exemplo discipulorum Damascenorum, *Act. 9.25.* & Lydiæ, *Act. 16. 15.* & Onesiphori, *2.Tim. 1.16.* Debent

benteos alere juxta mandatum, Gal. 6. 6. 1. Cor. 9. 7. &c.
Exempla sunt iterum in Galatis, 6. 4. 14. in Lydia, Act. 16. 15. in Ecclesia Vet. Test. 2 Par. 31. 4. 12.

R A T I O I. Quia Pastores sunt spirituales patres, qui nos per Verbum Dei generant in vitam æternam, teste Paulo, Gal. 4. 19. Jam verò Deus jubet honorare parentes, Exod. 20. 12.

II. Quia excubant pro animabus auditorum suorum, tanquam rationem reddituri, Hebr. 13. 17.

III. Quia sunt firmamentum Ecclesiæ & Reipublicæ, sicut Joas Rex de Elisæo ait, 2 Reg. 13. 14. id est; Tu paterna officia Ecclesiæ & Regno præstitisti: tu consiliis & precibus tuis majora gessisti, quam omnes reges instructi curribus & equitatu.

U s u s I. C O R R E C T O R I U s.

Doctrina hæc valde est hodie necessaria: ubique enim Ministri Dei contempti, pauperes, exules jacent. At quotusquisque est, qui eis aliquid conferat, cum tamen sint Patres vestri, Medici vestrarum animarum, partis hominis longè præstantissimæ. Revocate in memoriam hortationem Pauli, 1. Thess 5. 12. 13. Imò mandata Dei, Deut. 12. 19. Et utinam hic se sistat eorum ingratitudo! Verùm alii ulterius procedunt; ignominia Dei legatos afficiunt, sermones eorum parvipendunt, ut Judæi olim, Esa. 28. 13. 14. 2. Par. 36. 19. Sed non ferent inultum; Qui enim eos spernit, &c. 1. Thess. 4. 8.

U s u s II. H O R T A T O R I U s.

Nos verò meminerimus Melitensium exempli & aliorum: imò mandatorum Dei, Rom. 13. 7. 1. Pet. 2. 17. Eos libenter audiamus, alii alias excitantes, exemplo

Veteris Ecclesiæ, Isa. 2. v. 3. Eis etiam obediamus. Hoc nisi fecerimus, frustra illi circa nos laborant. Nam sicut qui corporalì morbo laborant, quamvis sexcenties Medicus remedia adferat, & valetudinarius medicinæ curam respuit, & medicus imponens pharmacum, infirmus autem impatiens doloris illud rejiciat, nulla inde utilitate suscepta: ita nihil effecerit Ecclesiastes, nisi obtemperent auditores. Chrysost. Quicquid verò boni in eos contuleritis, hoc reddet vobis Dominus, uti promittit, Matth. 10. 41. 42. & 25. v. 40. Et quò quis largius seret, eò copiosius metet in vita æterna.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S VI.

Textus. Actor. 28.

- ii. Tribus itaque post mensibus, proiecti sumus navi Alexandrina, quæ in ea insula hyemaverat, cui erat insigne Castor & Pollux.
12. Et devecti Syracusas, illic mansimus triduum.
13. Unde circumlegentes devenimus Rheygium.

E X E G E S I S.

ITa absolvimus Pauli in insula Melita hybernationem, & ea quæ ibi abs eo gesta sunt. Jam Lucas redit ad Peregrinationem Vernalem. Postquam enim in Melita hybernaſſent, sub initium Veris reliquam itineris partem absolvunt. Hujus autem Vernæ navigationis initium ita describit, ut ponat;

1. Tempus. 2. Navim qua vecti. 3. Terminum ad quem primūm fuerunt delati.

DE PRIMO. V. II.

Ergo peracta in Melita hyeme, cui tres assignantur menses: *December, Januarius, & Februarius*. His tribus mensibus clausa erant maria. Sub initium hyemis claudebantur; sub initium verò Martii aperiebantur: Postquam igitur ipsum tempus navigationem suadebat, ipsi verò à laboribus marinis jam requieverant, & vires re-collegerant, redeunt ad officium vocationis suæ. Præcipue verò Paulus, prædicato ibi Euangeliō, & multis miraculis illustrato, fundataque Ecclesia, porrò ardet desiderio alibi etiam Christum annuntiandi, & maxime verò Romæ.

DOCTRINA.

Hæc est natura fidelium qui se Christo ad ministerium tradiderunt, quod operam sedulè navant, ut & alii cognitionem Dei & suæ ipsorum salutis acquirant. Exemplum est hic in Paulo, qui ideo Romanam proferavit. De cuius desiderio vide etiam, *Rom. 1.11--15. & 15. v. 23. Act. 26. 29. In Mose, Exod. 32. 32. Paulo, Rom. 9. 3. Cornelio, Act. 10. 2.* Hinc alii alios excitant, ut videre est, *Esa. 2. 3. Malach. 4. 1.* Si verò aliquos in cultu Dei negligenter esse vident, tristantur & dolent. Ita Elias, *1. Reg. 19. 10. David, Psal. 119. v. 136. 158. Paulus, Act. 17. 16.*

RATIO I. Quia nihil magis optant, quam ut gloria Dei & Christi promoteatur. Hoc videre est in Paulo, *Phil. 1. 15. 18.* Jam verò sciunt egregiè illam illustrari, & etiam proximi eorum Deum verè colant.

II. Quia meminerunt sibi esse hoc mandatum Præcepto Tertio, *Exod. 20. 7.* Ubi ut removetur stupor gloriæ Dei non curans, ita injungitur zelus pro Dei gloria,

ria, id est, vehemens animi studium propagandi nomi-
nis Dei glorificationem, *Jer. 23. 9. 10. 11.*

Usus CORRECTORIUS.

Ah quid dicemus de illis stupidis, qui nullo affectu
aut zelo erga Dei gloriam suorumque proximorum sa-
lutem affecti sunt! Nondum induerunt naturam ser-
vorum Christi: non sunt similes Paulo nec Eliæ, nec
Phineaso, de quo vide, *Num. 25. 7.* Nec Christo, *Job.*
2. 14. 15. Sed Eli sacerdoti, de quo Deus ait, *1. Sam. 2. 29.*
& *3. 13.* Unde patet miserrimam eorum esse condi-
tionem. Quam procul etiam absunt à fervore Ecclesiæ
Primitivæ, vel quæ multis post Christum seculis inter
hostes latuit. *Waldensibus*, qui circa *An. Chr. 1160.* in
Gallia lucem Euangelii accenderunt, ipse *Rainerius* Pon-
tificius Scriptor hujus zeli testimonium exhibit: qui,
Viri, ait, & *muleres*, *parvi* & *magni*, *nocte* & *die* non cessant
discere & docere. *Audivi ab ore credentis cuiusdam*, quod
quidam Hæreticus, quem novi, ad hoc tantum, ut eum à fide
nostra averteret, & ad suam perverteret. nocte hyemali tem-
pore, per aquam quæ dicitur *Ibis*, natavit ad ipsum. Idem:
Vetus & *N. T.* vulgariter translulerunt, & sic docent ac di-
scunt. Vidi & audivi rusticum idiotam, qui *Jobum* recitavit,
verbum ad verbum, & plures alios, qui *N. T.* sciverunt per-
fectè. *Morn. in Myst. Iniquit. pag. mihi 733.* *Vladislau*
Jagiello M. Dux Litwaniæ, cum populum ægrè ab in-
terata gentilium superstitione avelli videret, ipse omni-
bus spectantibus, manus sua illis quas aliquando colue-
rat arboribus magna vi secures impingens, easque ab
radicibus deturbans, tum ingentem vim aquæ profun-
dens in illos tam diu adoratos ignes; Non est, clamabat,

non est Deus, quod exscindi ac dejici, non quod extingui potest. Ipse Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Lithvanica lingua donavit, ipse hoc populum suum docuit. *Muretus in Orat, pro Sigism. Pol. Rege.*

DE SECUNDO.

Navis qua vecti sunt, describitur v.ii. Erat primò, Alexandrina: *deinde*, hyemaverat in illa insula: tandem, habebat insigne Castorem & Pollucem. Puto Lucam hæc consultò addidisse, ut horrendum ipsos passos fuisse naufragium animis reputemus: siquidem navis omnino interiit, ut alia opus haberent. Hyemaverat vero in illa insula, *sive* ut inde merces aliquas efferret: erat enim insula ferulis: *vel* aliunde prætervehabantur, & hic ab hyeme deprehensa substituit. Prudenter. Nemo enim se periculis temerè exponere debet. Moris vero esse videmus etiamnum varias imagines in navibus pingi & fingi: imò sculptas poni, Leones, pisces, ursos, &c. Proculdubio ad discriminem navium vel ad ornatum. Eandem consuetudinem fuisse apud antiquos ex hoc loco patet: sed alio id fiebat fine. Putabant enim naving ab eo cui consecraretur Deo, à naufragio & aliis periculis servari. Inter illos fictitious deos gentilium celebres erant duo, *Castor & Pollux*, filii Jovis & Lædæ. De his ambobus creditum vulgo fuit, quod aliquando Piratas intefecissent & dispersissent, atque ita mare redidissent tutum. Ideoque deos marinos eos fixerunt, eorumque imagines navibus pingere soliti sunt. Quod etiam hic factum. Superstitiosa ergo erat navis, qua ipse Paulus usus fuit: verum non ultrò, vel leviter; sed coactus. Erat enim vincitus. Adhæc, non credebat ille

Castorem & Pollucem deos esse: imò antequam ad id adduci potuisset, millenas oppetiisset mortes. Neque fidem suam negabat, quinimò animosè profitebatur.
Act. 27. v. 23.

D O C T R I N A.

Fideles ergo non polluuntur impiorum superstitionibus: si modo in eas non consentiant, neque non necessariè iis occupentur; si eas non approbent, sed fidem suam constanter retineant. Ita hoc loco Paulus, qui licet in superstitione esset navi, tamen quia aliter fieri non potuit, sine offensione suæ conscientiæ ea usus fuit: non enim duos illos deos adoravit, &c. *Naaman. Syrus* idololatrico templo solebat adesse, quia servus erat peculiaris domini sui: qui tamen ideo non fuit à Prophetā reprehensus, *4. Reg. 5. 18. 19.* Paulum iterum nihil inquinavit quod Athenis aram idololatricam lustraret, *Act. 17. 23.*

RATIO. Quia nulla res potest conscientias verò fideliū inquinare, teste Paulo, *Rom. 14. 14.* Adeo ut nec ipsū idolum, quia nihil est, *1. Cor. 8. v. 4.* Hæc autem cautio ubique adjungenda est, si non consentiamus, nec temere circa illa occupemur.

U S U S I N S T I T U T O R I U S.

Docemur itaque si aliquando simile quid nobis accidat ut evitari non possit, pacaram nos posse habere conscientiam: interim verò omnes occasiones sedulò fugiendæ sunt. Inde etiam apparet, eos qui vel frequentant loca superstitionum, vel alio modo in rebus adiaphoris aliis sese accommodant, si necessitate adacti id faciant, & ex vocatione sua, non incurrere in Dei offend-

fensam: sin verò temerè, certè graviter eos peccare, Volunt enim simul servire Deo & diabolo, quod est impossibile, ut ait Christus, *Matth. 6. 24.* Tales in utrūque latus claudicant, uti Judæi, quos ideo reprehendit Elias, *1. Reg. 18. 21.* Tales nec sunt frigidi nec calidi, sed tepidi, ideoque Christus ejicit eos ex ore suo, *Apoc. 3. 16.*

D E T I R T I O . v. 12. & 13.
medio.

Antequam Romam pervenerant, eres habuerunt stationes: quarum priores duas habemus in istis verbis: tertiam verò habebimus in sequentibus. Postquam enim Melitam dereliquerunt, primum venerunt Syracusas; deinde Rhegium.

I. Prima statio itaque erat *Syracusis*, civitate primaria in Sicilia, & maritima. Portum habuit olim marmoreum: eratque triplici muro ac triplici arce munitionis. Hodie verò non est in tanto splendore atque fuit illo tempore. Celebris erat etiam ideo, quod ibi habitaret *Archimedes*, insignis ille Mathematicus, qui elatus demonstrationis labore, jactavit se si alia existeret terra, in eam transgressurum, & hanc nostram motum fuisse: inde ejus vox; *Da locum ubi stem, & terram movebo.* Quantum quidem arte valuit, reipsa declaravit. Quum enim Romanus miles Duce Marcello urbem obsideret, ipse hostilem exercitum repulit, navibus hostium beneficio suæ artis incensis & combustis. *Plutarchus in Marcello.*

D O C T R I N A.

Omnium humanarum rerum in mundo magna est inconstans. Nihil enim est hic firmum, ne id quidem

dem quod firmissimum videtur : uti civitates splendidae & munitissimæ. Ubi syracusæ antiquæ cum suo portu marmoreo? Ubi Hierosolyma, urbs Orientis, teste Tacit. lib. 12. Annal. amplissima, munitissima, populosissima? Nam ista quæ hodie est, non est eo loco, quo fuit prior, sed paululum ab eo loco discessit, teste Melancht. in Postill. Veteres Ægypti Thebas vix fama retinet, centum Cretæ urbes vix fides; Lips. in Conſt.

R A T I O I. Quia ut omnes aliae res sunt instabiles, ita etiam omnium Imperiorum, Rerum publ. & Civitatum fatales sunt Periodi à Deo constitutæ : quo respicit Dan. cap. 2. 21.

II. Quia homines peccatis suis Deo anſam præbent, ut illos destructione civitatum puniat. Talia sunt in primis *ingratitudo*, *contemptus Euangeli*; ob quem minatur se eversurum Regna, si se opponant Regno Christi, Agg. 2. 22. Sanè propterea tres Asiaticæ civitates, Laodicea, Hierapolis & Colosse eodem terræ motu conciderunt. Euseb. in Chron.

Uſus D E H O R T A T O R I U S.

O vos ergo qui clavum Rerum publicarum & civitatum regendarum habetis in manu, mementote hujus inconstantiæ! & date operam, ne permissione scelerum ubique grassantium acceleretis vobis interitum. Nam occasiones & initia mutationum in Imperiis & Rebus publicis existunt à vitiis, cùm luxuria & superbia, utililud Poëta docet: *Nam cætera regna Luxurie vitiis, odioque superbia vertit*; tūm etiam *injustitia, injuria, contumelia*, & diversis dolis: *idolatria, tyrannide, latrociniis, libidine & aliis*; maximè verò à contemptu Verbi Dei, uti exempl-

Exemplo est *saul*, qui ideo non solum Regno, sed etiam vita exiuitur. Si vero cupitis florere vestra Regna;

Discite justitiam monitti & non temnere numen:
id est, justitiam & pacem inter homines servate, Religionem puram promovete.

U s u s II. I N S T I T U T O R I U S.

Quum vero ita inconstantes sint res humanæ, etiam illæ quæ videntur esse firmissimæ, ne illis fidamus, neque eas diligamus, monente Apostolo, *I. Joh. 2. v. 15. 16.* Certè omnia prætereunt, præter amare Deum. Famosa est *Roma*, sed inhiat ei exitus. Celebris *Constantinopolis*, at quis scit quam diu? *Magnæ Venetiæ*, sed non perpetuò. Dives *Amsterdamum*, sed habet suum terminum: Spem vero nostram in Deo ponamus, qui omnibus mundanis rebus destructis in cœlestem nos æternumque duraturam recipiet civitatem.

II. Altera Statio erat *Rhegium*, urbs Italæ. Inter hanc civitatem & *Syracusas* mare interjectum ad 60. stadia: hac parte olim cohæsisse Siciliam cum Italia proditum est. *Rhegium* venerunt non recta, sed per ambages: unde dicit Lucas circumlegentes vel circumeuntes. Hinc vero iterum patet, pios in suis propositis variis impediri obstaculis, ut non ita ac velint res expediant suas. Paulus enim jam non procul aberat à *Roma*, & tamen retinetur jam tres dies *Syracusis*, jam incommoda & tortuosa *Rhegium* navigatione. David Templum ædificare non potuit propter continuabellas. Ita pii volunt benè operari, impediuntur rāmen imbecillitate carnis, naturali vitiositate, malis occasionibus, *Rom. 7. 17.* Hanc Doctr. vide sup. tractatam Conc. III.

H Y P O -

HYPOTYPOSIS CONCIONIS VII.

Textus. Acto. 28.

13. *Et altero post die, quum supervenisset Auster, secunda die venimus Puteolos.*

14. *Ubi repertis fratribus, rogati sumus ut permaneremus apud eos diebus septem: ita contendimus Romanam.*

EXEGESIS.

ITa egimus in praecedenti Concione de duabus stationibus, nempe Syracusis & Regino: *tertia* sequitur, Puteolis: de quo habemus in istis versibus; ubi simul narrat Lucas, quomodo ibi à fratribus excepti fuerint. Ergo est hic;

I. *Felix Pauli aliorūque appulsus in urbem Puteolos.*

II. *Ipsorum ibidem per septem dies commorato.*

DE PRIMO. v. 13. parte posteriorē.

In quibus verbis Lucas illius felicioris successus duæ membra ponit: 1. *Quod eis ex insperato ventus secundus supervenisset.* 2. *Quod iter illud celeriter conficerent.*

Quod PRIMUS attinet; illud habemus in verbis: *Et altero post die; ad fin. v. 13.* Auster est ventus Meridionalis: hic altero die postquam Reginum cum difficultate venissent, supervenit, hoc est, ex inopinato, de improviso in eos incidit. Quia enim hactenus Reginum usque minus secundo veherentur vento, metuerunt, ne diutius ab adverso tenerentur. At insperato supervenit

Sicut eis, quali planè opus erat. Ita singularem Dei experti sunt benedictionem: Jehovah enim promit ventum è thesauris suis, Psal. 135.7. Jer. 10.13.

D O C T R I N A.

Tanta Dei est bonitas, ut sàpēnumerò hominibus benedicat tùm quàm illi minimè sperant; uti ex hoc loco apparet. Atque hoc est, quod ipse met promittit, *Esa. 65.24. Abrahamo jam centum annos nato, Saræ* verò *90.* dedit filium Isaacum, *Rom. 4.18.19. Isaac* adeò benedicebat, ut accipecret eodem anno centuplas mensuras, *Gen. 26.12.* Num *Josephus* in carcere speravit se fore dominum Ægypti? *Gen. 41.41.* Aut *David* pastor ovium se fore Regem Israëlis? hinc ipse admiratur illam Dei bonitatem, *Psal. 78.70.71.* Aut *Saul*, quum asinas patris sui quæreret? *1.Sam. 9.3.20.* Neque *Cornelius* expectavit Angelum è cœlo venturum, qui ei indicaret preces & Eleemosynas ejus adscendisse ad Deum, *Act. 10.4.* Hujus Divinæ bonitatis, qua ultrò nos prævenire solet, elegantem habemus descriptionem & exemplum in populo Israëlitico, *Ezech. 16.3--14.*

R A T I O I. Hoc verò ideo Deus facit, ut nobis occasionem superbiendi præscindat, doceátque nihil nostræ alicui prudentiæ aut laboribus esse adscribendum, sed ei soli: Annon enim Deus ita superbientes punit? certè. Non est ergo cum Nabuchodonosore dicendum, *Dan. 4.30.* Sed cum Jacobo, *Gen. 32.10.* Illos acriter reprehendit Deus, *Abac. 1.15.16.*

II. Ut nobis occasionem majorem præbeat ad gratitudinem; Ita David facit, *Psal. 30.2.6.*

U s u s I. C O R R E G T O R I U S.

Quam

Quam insipientes ergo sunt illi, qui si quid adversum experiuntur, statim murmurant, impatientesq; se exhibent: nec considerant consuetudinem Dei, qui saepius ex insperato adesse solet, uti videre est in *Ecclesia Iudeorum*, quæ propter gravissimam afflictionem dicit, *Lam. Jer. 3.18.* Et in *Agare*, quæ deficiente aqua in deserto, statim abjicit filium sub arbore desperabunda & flet, *Gen. 21. 5.* Quasivero Deus non potuisset etiam in desertis locis aquam producere; quod deinde etiam fecerat; *ibid. v.19.* Confer *Exod. 17. 6.*

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Nos verò nunquam desperabimus, licet nulla aut exigua videamus media: licet omnia nobis adversentur, hoc sit nostrum solatum, Deum consueuisse ex improviso suis adesse, ut ejus præsentia & benedictio gratior nobis existat. Itaque in maximis quibusve afflictionibus, morbis, egestate memores simus, Deum facile ventum adversum in secundum posse mutare, mœstiam in lætitiam convertere; & ut ait Poëta,

Grata superveniet quæ non sperabitur hora.

Petrus ex carcere liberatus fuit, quum non speraret, *Act. 12.7.8.* Hinc illæ Apostolicæ voces plenæ consolationis leguntur, *2. Cor. 2. 8.9.*

Quod POSTERIUS attinet; illud est in verbis: *Secundo die venimus Puteolos.* q. d. Valde citò, brevissimo temporis spatio, longius illud iter confecimus: quum navi gantibus non raro usu veniat mare difficiliter sulcando vix per diem unum absolvere milliare. At cum Puteoli adhuc longius abessent à Rhegio, hoc quod alias non ita facile fieret, jam celeriter conficitur, medien-

mediante secundo vento. Sunt autem Puteoli in Italia urbs antiqua, uti loquitur Tacit. lib. 14. Annal. In Italia vetus oppidum Puteoli, jus coloniae & cognomentum à Nerone adipiscuntur. Nomen vel à puteis habent, vel à putore aquarum; habet sanè tractus ille calidas aquas multas, sulphure etiam abundat, unde non immerito à putore aquarum dici possunt. In montibus ejus arenæ mirabiles: nam injectæ in mare, in durum coalescunt lapidem. De quo Plin. lib. 35. cap. 13. ita: *Quis non miretur pulverem in Puteolanis collibus opponi mari fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis.*

D O C T R I N A.

Adeo magna est Dei potentia, ut etiam difficilia quæque celeriter possit perficere. Patet hoc ex eo, quod Rhégio celeriter pervenissent Puteolos. Nullum enim verbum apud eum est impossibile, *Luc. 1. 37. Zach. 8. 6.* Res est sanè difficilis & homini impossibilis exsiccare mare rubrum: at factum & quidem una nocte, *Exod. 14. v. 21.* Spiritus Dei celeriter transferebat Prophetas ex uno loco in alium, *1. Reg. 18. 12.* Servator noster turbatum mare tranquillum reddebat solo nutu, *Matth. 8. 26.* Morbos incurabiles sanabat solo verbo, ut lepram, *Matth. 8. 23.* Fluxum sanguinis, *Matth. 9. 21. 22.* Lazarum è mortuis evocavit sola voce, *Joh. 11. 43. 44.* Itaque jure exclamare possumus ex *Psal. 72. 18.*

R A T I O I. Nec mirum: est enim omnipotens, quæcunque vult facere potest, *Psal. 145. 3.*

II. Quia est etiam absolutus Dominus rerum omnium: nihil est omnino, quod ei obedire detrectet:

imò obedit Cœlum, Terra, Mare, &c. Ideoque quum emittit sermonem suum in terram, celerrimè excurrit verbum ejus, *Psal. 147. 15.* Hoc ejus dominium describit David, *Psal. 50. 9 -- 13.* Monarchis hujus mundi quædam obediunt, sed non omnia. Xerxes Rex Persarum exercitum adversus Græciam ducturus, Athon montem, toto longè dorso in pelagus procedentem, qua continentि adhærebat, perfodit, fretóque navigabili pervium fecit. At verò tempestatem marinam sedare non potuit, licet homo superbissimus catenas ferreas ei injiceret, illúdque virginis cæderet. Huic verò Domino omnia ad nutum præstant obedientiam.

U s u s C O N S O L A T O R I U s.

Hæc verò qui accuratiùs considerat, fieri nequit, quia magna perfruattur consolatione. Nam hoc ipsum, quod Deus omnipotens nullo negotio & quam celerrimè omnia potest facere, abundè nobis suppeditat materiam consolacionis in angoribus animi, in afflictionibus corporis, in perseguitionibus, &c. Cur enim nobis metuimus à defectu & egestate, fame? annon facile ipse maximæ multitudini prospexit de cibo in deserto? *Num. 11. 21. &c.* An putamus eum posse suos deserere? Neutquam, *Esa. 49. 14. 15. 16.* Verum quidem est: spiritum malum potentem esse, qui omnem movet lapidem, quo vim aliquam inferat rebus & bonis nostris aut conscientiæ, imò ut in exitium abripiat. Verùm nonnisi emendicaram habet potentiam: Dominus verò noster potentior est, *Matth. 12. 29. 1. Job. 4. 4.* Ex ejus manibus nemo nos rapiet, *Job. 10. 29.* Itaque ei nos semper committamus.

Dices: Non semper exerit hanc suam potentiam: interdum diu sinit affligere suos. *Verum est*: sed opportuno eam exeret tempore. Est enim perito Medico similis, qui etiam si possit ægro ardente febre correpto vinum porrigere, tamen non facit, expectans aliam occasionem, nempe valerudinem restauratam. Excitat etiam virtutes in nobis, & vult liberationem esse magis gloriosam.

DE SECUNDO. v.14.

Hic habemus commorationem Pauli Puteolis: Notat autem iterum Lucas; 1. *Causam* illius commorationis, 2. *Tempus*, quandiu illic substituerint.

Quod *Prius* attinet, *Causam* indicat, quod rogati essent à fratribus, ut apud eos manerent, v.14. Fratres in Scriptura vocantur 1. Qui sunt corundem parentum filii, Gen.4. v.2.8.9.10. 2. Qui sunt ejusdem gentis, Exod.2.11. 3. Qui sunt concives, Gen.19.7. 4. Qui sunt sibi amici charissimi, 1.Reg.20.32. 5. Qui sunt ejusdem fidei ac religionis, Psal.133.1. Atque hac postrema significacione hoc loco fratres intelliguntur. Ita enim primi Christiani se appellarent, tempore Christi, Matth.23.8. Apostolorum, ut claret ex eorum Epistolis: Primitiva Ecclesiae; idoque Patres, cum propterea à gentibus infamerentur, strenue se defendebant, ut patet ex *Tertulliano*. Neminem ergo hujus nominis pudeat: nec quisquam audeat eos, qui se ita nominant eo nomine exagitare.

Hoc etiam certum est, *Fratres* hos Puteolanos, jam ante aliquid de Paylo inaudivisse. Inde enim est, quod ultrè rogant, ut secum manerent, quo non tantum cau-

sam Pauli melius cognoscerent, aut quid rerum in Ju-
dæa ageretur, explicantur: aut à Paulo aliquid disce-
rent: Sed etiam ut eos quippe peregrinos curarent
tractarenrque amicè.

D O C T R I N A.

Nam hæc est natura hominum proborum, quod
ipsi met occasiones captant aliis beneficiendi: uti hoc
loco Puteolani Fratres non exspectant ut rogentur: ve-
rūm animadvententes ipsi Pauli necessitatem ultrò ex-
cipiunt. Eorum naturam exprimit David, *Psl. 112. 5.*
Salomon, Pro u. 21. 26. Hinc ejusdem est illa hortatio,
Pro u. 3. 27. Exemplum est in Abrahamo, *Gen. 18. 3. 4. 5.*
Lotho, *Gen. 19. 1. 2. 3.* Melchisedecho, *Gen. 14. 18.* In quo-
dam viro sene, *Judic. 19. 20. 21.* Davide, *1. Sam. 9. 7.* Petro
& Johanne, qui mendico non petenti sanitatem con-
tulerunt, *Act. 3. 6.*

R A T I O I. Quia meminerunt probè hanc esse na-
turæ legem, ut quæ sibi ab aliis velint fieri, ea priùs ip-
ſi faciant, juxta hortationem Christi, *Matth. 7. 12.* & Dei,
Deut. 22. 1. Ex quo loco patet, si bovi proximi nostri ul-
trò benefacere jussit Deus, multò magis ipsi homini
hoc præstandum esse.

II. Quia sciunt nullam virtutem magis allucere ho-
mines ad amorem & dilectionem mutuam, quam be-
neficiantiam. Unde Cyrus apud Xenoph. lib. 11. ait: *Quos
volumus esse socios, venandi sunt beneficiendo & benedicen-
do.* Sic David post seditionem rediens jurat se nemini
nem interfectorum esse, *2. Sam. 19. 23. 24.* Hanc regulam
tenuit Augustus Imperator vitam dans L. Cinnæ, qui
fuerat non modo hostis, sed etiam insidiator ejus, & ita

sum compellans: Contendamus utrum ego meliore fide vi-
tam tibi dederim, an tu debeas? Posthac detulit ultrae con-
sulatum, questus, quod non auderet petere. Amicissimum fi-
delissimumque habuit, haeres solus fuit illi: nullis amplius
inſidiis ab illo petitus est. Senec. lib. i. de Clem.

U s u s I. R E P R E H E N S O R I U S.

Hoc debet multis Christianis pudorem incutere, qui
ne rogati quidem aliis benefaciunt; nec fratribus suis
exulibus, nec aliis paupertate pressis: non meminerunt
mandati Christi, Matth. 10. 42. Apostolorum, 1. Thess. 5.
v. 15. Nechorum fratrum exemplo moventur; aut One-
siphori, 2. Tim. 1. 16. aut Gaji, 3. Joh. v. 5.

U s u s II. H O R T A T O R I U S.

Nos ergo dum tempus habemus, simus benefici in
omnes, ut monet Paulus, Gal. 6. 10. Etiam si nos ipſi pau-
ca habeamus: reddet enim abunde Deus, teste Salomo-
ne, Prov. 19. 17. Et quo erimus in fratres largiores, co-
largiorem Deum experiemur, Prov. 11. 17. 24. 25.

Quod P O S T E R I U S attinet; commorati sunt ibi per
septem dies. Satis diu. Non erat eis Paulus nec alii mo-
lesti. Non valuit apud eos proverbium: Post tres ſepe
dies vilescit pifcis & hospes. Cur vero? quia erant fratres,
hoc est, fideles & in Christum credentes.

D O C T R I N A.

Fidelium ea est natura atque indeoles, ut nihil magis
desiderent quam perpetuo secum esse, aut saltem quam
diutissime: quod ex hoc loco est perspicuum. Idem
illustrat suo exemplo David ac Jonathan. Elisabetha
ac Maria virgo castissima, Luc. 1. 56. Petrus, Matth. 17. 4.
David & congregatio piorum, Psal. 84. 3. 4. &c.

RATIO I. Quia sunt unius corporis mystici membra, cuius caput est Christus, & vivificantur uno eodemque spiritu: ideo Ecclesia semper apud Dominum suum cupit esse, *Cant. 1. 4.* Imo sunt unum cor & una anima, *Act. 4. 32.*

II. Quia habent jam aliquem sensum futuræ in cœlis cohabitationis.

U s u s H O R T A T O R I U S .

Induamus ergo nos etiam hanc fidelium naturam, & cum piis libenter commoremur. Ubi opus est unanimitate, pace, charitate, & concordia. Rectè enim monet *Tertull. de Paenit.* Inter fratres communis debet esse meritus, gaudium, dolor. Unde certi esse poterimus, nos habituros etiam post mortem cum iis societatem in cœlis, quam promittit Dominus, *Matth. 8. v. 11.*

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S V I I I .

Textus. *Act. 28.*

15. *Unde quum audissent fratres de rebus nostris, prodierunt nobis in occursum usque ad Appii forum, & tres tabernas: quos cum vidisset Paulus, gratias actis Deo, sumpsit fiduciam.*
16. *Quum vero venissimus Romanam, Centurio tradidit vires Prefecto exercitum: sed permisum est Paulo, ut habiceret seorsim, cum milite qui ipsum custodiret.*

E X E G E S I S .

ATque haec tenus egimus de navigatione Pauli: que sequuntur ad iter pedestre pertinent. Ita etiam

etiam actum, est de termino itineris Pauli à quo? nimirū Melitā : & per quem? per Syracusas, Rheygum, Puteolos, ubi navis substiterat. Jam agendum de termino ad quem? Romam. De eo in his duobus versibus agit Lucas: nempe;

I. *De processu fratrum Romanorum Paulo obviam, ad eum salutandum.*

II. *De ingressu Pauli Romam; & quid primum cum eo ibi actum.*

D E P R I O R E . v. 15.

Hic Lucas tria annotat.: 1. Occasionem ipsorum è Roma exitus. 2. Terminum, quousque fuerant proges-
si? 3. Quid Paulus eis visis egerit?

Quod PRIMUM attinet: Occasio continetur in verbis;
Unde quum audissent, &c. De voce frater dictum est v. 14.
Ergo occasio erat fama de Paulo, quæ Romam usque
penetravit. Famā nil est velocius, in primis malā: hinc
Poëta; *Fama malum quo non aliud velocius ullum.* Mobi-
litate viget virēsque acquirit eundo. Ita Paulus non po-
tuit clam urbem ingredi, sed adventus ejus prænuntia-
tus fuit longè antè. Exilis persona Paulus, captivus:
sed quia Euangelii causa patiebatur, singulari Dei pro-
videntia ita inclaruit, (*persequutio enim semper magis il-
lustrat Euangelium, quam obscurat,*) ut prius innotesce-
ret in urbe, quam eam ingrederetur: hinc plena illa
via salutantium, in urbēmque tanquam gloriosum ali-
quem triumphatorem introducentium.

D O C T R I N A .

Ita solet Deus servos suos qui eum honorant etiam
in hac vita honorare clarosq; facere, uti ex hoc loco pa-

& ex promissione Dei, *i. Sam. 2. 30.* & ex exemplo Josephi, qui factus fuit Ægypti Dominus, *Gen. 41. v. 39. &c.* Mardochæi, *Esth. 9. 4.* Danielis, *cap. 5. 9.* Vidua Sareptana, in cuius gratiam non unum miraculum patratum. Constantinus M. quod Christianam Religionem studiosè defenderet & libertate donaret, bella varia contra Sarmatas, Gothos, gessit felicissimè.

R A T I O I. Ut omnibus testatum reddat, non esse vanum Deo servire pietatemque colere: quod impii dicunt apud Malachiam, *cap. 3. v. 14.* Pietas certè habet promissionem utriusque vitæ, teste Paulo, *i. Tim. 4. v. 8.* Christo vero præmium promittente, *Marc. 10. 29. 30.*

II. Ut & alios ad cultum suum alliciat. Præmiis n. homines valde ducuntur: Nā & *Vulgus amicitias utilitate probat.* Hoc argumento solatur suos Domin⁹, *Matt. 5. 11.*

U s u s I. C O R R E C T O R I U S.

O insanam ergo illorum impietatem, qui vanitatem esse putant colere Deum! Tales fuerē illi quos describit Job, *cap. 21. 15.* Certè non est vanitas; vide Psal. 1. v. 1. An non Deus honorat suos cultores? imò; uti exempla vidimus. Annon tali gaudent privilegio, quali nemo aliis? Nam audent confidenter ad thronum gratiarum Dei accedere: ubi quicquid petunt in nomine Christi, obrincent, teste Apostolo, *i. Job. 5. v. 14. 15.* Impios verò Deus non audit. Et ut nihil dicam de præmio vitæ æternæ, quod propriè ad fidèles spectat, ipsa etiam experientia docet; multis hinc inde esse claros homines & divites, qui Euangelii causa patrium solum mutarunt, ex *Gallia, Italia, &c.* Ita Deus honorat suos amicos etiam hic.

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Iraqe

Itaque hoc unicum sit nostrum solatium; quod Dominus noster nos quoque suos cultores honoraturus est: si non hic, at certe in cœlis. Promisit id, *Luc. 22. v. 28. 29. 30. Job. 12. 26. &c 14. 3.*

Quod SECUNDUM attinet, *Fratres illi progressi fuerunt obviam Paulo usque ad Appii forum & tres Tabernas, v. 15.* Forum Appii erat oppidum in via Appia lapidibus strata authore Appio Cæco: unius dici itinere ab urbe erant tres Tabernæ, ad quas usque in occursum venerunt Paulo, fratres, id est, Christiani, auditores suo Pastori. Jam enim ante ad eos scripserat, adventum suum nuntians & affectum optimum: cuius, vide, adeo grati sunt, ut eos Pauli neque captivi pudeat.

D O C T R I N A.

Natura auditorum verbi Divini Pastores suos amantium est, omnem eis gratitudinem præstare, eos in persequutionibus non deserere, sed omni benivolentia prosequi. Hoc ipsum docent suo exemplo Romani fratres: non pudet eos obviam ire Paulo captivo, quod per se est in mundo infame: neque curant periculum, quod iis inde potuisset exurgere. *Tertullianus* enim author est, Religionem & fidem Christianam Tiberio adhuc regnante publico Senatus consilio damnatam fuisse. Idem videri potest in cæco, *Job. 9. 31. 34.* In obsesso à Diabolo, *Marc. 5. 18.* In Onesiphoro, *2. Tim. 1. 16. 17. 18.* In senioribus populi Iudeici, qui Jeremiam defendunt, *Jer. 26. v. 17. - 19.* In Galatis, *c. 4. 13. 14. 15.*

RATIO I. Quia sciunt eos esse suos Patres spirituales. Ergo mutua inter eos intercedat charitas, necesse est. *Valerius Max.* refert, tantum fuisse in quadam

filia erga pātrem suum amorem, ut condemnatum ad famem in carcere sāpiūs visitaret, cūmque suis uberibus aleret. Ita nec eos pudet Pastorum suorum, licet in-carceratorum.

II. Quia norunt, Dominum Christum hoc quod ejus Ministris fit, sibi tribuere, *Matth. 25. 40.* Ideoque etiam recompensare promittit, *Matth. 10. v. ult.*

U S U S R E P R E H E N S O R I U S.
& Hortatorius.

Quod uti multos reprehendit, qui hodie exemplum Romanorum fratrum non sequuntur; quos pudet Euangelii & ejus Ministrorum: ideoque si incident in persequutionem, deserunt eos. Ita nos officii nostri admonet, ut non tantum tranquillitatis tempore eis adhæreamus, sed etiam persequutionis. Admonitio enim Timotheo facta, *2. Epist. 1. 8.* ad nos etiam pertinet. Ut enim qui ad Solem assiduò ambulat, ejusdem radiis coloratur: ita eorum consuetudine similes eis evademus pietate & constantia.

Quod TERTIUM attinet, quid Paulus egerit visis fratribus? duo dicuntur, *v. 15.*

I. PRIMUS est, *Gratias egit Deo*, id est, postquam primūm eos salutasset, & aliquibus verbis fuisse affatus. Non est dubium, quia Deo gratias egerit pro ea animositate, qua ausi fuerunt ei in occursum venire: deinde, quod eum ipsorum adventu in sua captivitate recreaverint.

D O C T R I N A.

Videmus, quid Paulus egerit hanc felicitatem natus? Deo eam tribuit, eique gratias egit. Atque hoc debet

debet esse omnium officium, ut in rebus prosperis Dei illarum authoris meminerint, juxta mandatum, *Deut. 8. v. 10. II.* Sic David, pacem in regno suo nactus, Deo suos triumphos acceptos refert, *Psal. 8. toto.*

R A T I O I . Quia Deus est author omnium honorū, *Jac. 1. v. 17.*

I I . Ne ipse etiam nostri tempore felicitatis obliviscatur; uti minatur, *Prov. 1. v. 26. &c.* Felicitas enim est valde inconstans.

I I I . Quia ingratitudo exosa est & Deo & hominibus, *Philippos Rex Macedoniae*, cum intelligeret militem, cui prædium quoddam donaverat, in colonum fuisse ingratum; jussit ejus fronti inuri stigmata his literis: *HOSPES INERTUS.* Qui verò Dei obliviscuntur, meritò ingratiissimi habendi sunt.

U s u s I . R E P R E H E N S O R I U S .

Utinam verò hujus officii meminerimus! At quam multi sunt qui in pace luxuriant; secundum illud:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis:
Dei ejusque cultus obliviscuntur, Deo gratias non agunt: de quibus conqueritur Paulus, *Rom. 1. 20. 21.* Neque orant. Exemplum ingratitudinis vide in populo Israëlitico, *Judic. 8. 34. Osee 13. 6.*

U s u s II . D E H O R T A T O R I U S .

Nos verò caveamus, ne de nobis Deus conqueratur, ut de populo suo, *Esa. 1. 2. 3. & 17. v. 10. II.* Nam talibus minatur, *Osee 2. 13. & 4. 6.* Quod si fecerimus, nec ille nostri obliviscetur. Est enim fidus in promissis, *Esa. 49. vers. 15. &c.*

I I . A L T E R U M e s t : *Sumpfit fiduciam, hoc est; postquam*

quam eos vidit, confirmavit se in suo proposito & animi constantia. Nam videtur ideo Deus hos fratres ad eum emisisse, ut ab ipsorum præsentia animosior rediceretur, quod deinde causam suam audaciùs ageret.

D O C T R I N A.

Unde patet, fortissimos etiam athletas & milites Christi opus habere adminiculis & externa confirmatione consolationeque. Vide Paulum, qui adeo animosus erat, ut cum ei amici dissuaderent abitum Hierosolyma, paratus esset non tantum ligari sed & mori pro Christo, *Act. 21. v. 12. 13.* Imò qui in navi omnes erigebat, tamen confortatione etiam opus habuit majore: nam sumpsic audaciam. Idem observa in Petro, qui abnegaverat Dominum; pro quo tamen Christus oravit, ne deficeret fides ejus, *Luc. 22. 32.* In aliis fratribus, quos Petrus debuit confirmare, *Luc. 22. 32.* In Apostolis, quos Deus confirmabat, *2. Cor. 1. 21.* In ipso Domino, ab Angelo corroborato, *Luc. 22. 43.*

RATIO I. Quia etiamsi quis hominum fortissimus videatur, tamen nemo est perfectus: aliquid in eo desideratur, aliquid ei potest addi. Ipsa fides aliquando est major, aliquando minor. Voluit enim Deus illam perfectionem ad vitam æternam reservare.

II. Quia non raro usu venit, ut graviores superveniant angustiae, quam sperantur. Quæ verò insperata accidunt, ea magis perturbare solent.

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

I. Quapropter, qui stat, videat ne cadat, viribus ne confidat suis, ut Petrus: verum Deo se committat, eumque oret, ne graviora quam ferre possit ei immittat,

exem-

exemplo Pauli, 2. Thess. 3. 3. — 2. Deinde, magnificiamus externa adminicula: hæc enim Deus instituit nostri causa, ut per ea fortiores reddamur in zelo, pietate, constantia. Talia sunt Verbum Dei publicè prædicatum, precationes publicæ, sacramentorum usus, &c.

D E P O S T E R I O R E .

De ingressu Pauli, & quomodo ibi primum habitus fuerit, habemus v. 16. Ergo ita tractatus fuit Paulus; I. Traditus fuit una cum aliis vincitibus Præfecto exercituum: hoc est, à Julio Centurione Præfecto Prætoriano. Hæc est conditio piorum in isto mundo, una cum sceleratis numerantur. Hanc Doctrinam jam tractatam vide Conc. I. Cap. 27.

II. Permissum fuit Paulo, ut habitaret seorsim cum milite qui ipsum custodiret. Quo discrimen ponitur inter Paulum & alios captivos. Nam quanquam una cum aliis vincitibus traditus fuit Præfecto: tamen splendidior est ejus conditio quam aliorum. Illi enim per carceres in diversas turres disponuntur: Paulus verò habitat seorsim; non in publica custodia, sed in privato hospitio, quod sibi conduxerat. Hujus suæ captivitatis mentionem facit, Eph. 6. 20. Lipsius ad lib. 3. Annal. Taciti annotavit, Romæ triplicem fuisse rationem adservandi captivos: aut enim in carcere habebantur, locoque concluso, sine ulla milite; ut ferè servitia & captiva viliora: aut in custodia militari: aut in ædibus Magistratum. Custodia militaris frequentissima, & Romæ, & in provinciis, ejusque modis, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dexteræ alligatam haberet; quæ eadem militis sinistram vinciret custodiæ ejus Præfeci. Atque talis quoq; Paulo nostro additus fuit miles, qui

qui eum custodiret, *ex hominum mente*, ne aufugeret, *ex Dei*, ut tunc viveret, neque à Judæis laderetur. Vide quam mirabiliter Deus actiones hominum administrat! At unde hoc, quod Paulus humanius habetur quam alii? Ex singulari quidem providentia Divina: sed sine dubio etiam ex commendatione Centurionis, cui Pauli probitas & prudentia probè jam in multis perspecta erat. Unde factum fuit, ut & apud eum & apud alios gratia polleret.

D O C T R I N A.

Ita Deus curam suorum agit, ut etiamsi aliquid adversi iis immittat: tamen tum quoque ita hostium eorum inclinat animos, ut non asperè illos tractent: quod in Paulo videmus. Hinc Salomon rectè ait, *Prov. 16.7.* Exemplo sunt etiam Judæi captivi, qui hoc ipsum ad Dei laudem fatentur, *Psal. 106.46.* Atque sic in eis impleta fuit promissio per Jeremiam facta, *cap. 42. v. 12.* Inde etiam factum fuit, ut etsi Laban & Esau conati fuerint Jacobum interficere, tamen voluntas eorum divinitus ita repressa fuit, ut ponerent ferocia contra Jacobum corda. Sic etiam Joseph invenerat gratiam in oculis Domini sui, *Gen. 39.4.* Causa ejus redditur *ib. v. 21. 22.* Nota est historia de Alexandro M. qui capti Tyro bellum Israëlitis inferre statuerat: sed conspecto summo sacerdote Jaddo, ex eqio desiliit, nec pacem duntaxat Judæis benignè concessit, sed etiam tributa remisit, cùmque regiis munieribus templum ornasset, exercitum victorem in Assyriam traduxit, ut scribit Joseph *lib. II. Antiquit.*

RATIO I. Quia Deus habet corda omnium hominum

nun in manu sua, teste Salomone, *Prov. 21.1.* Hinc fle-
ctit ea quo vult : ut quemadmodum Samaritanus ille
misertus fuit saucii ; ita illi necesse habeant.

II. Quia hoc Deus promisit, *Hebr. 13. v.5.*

U S U S C O N S O L A T O R I U S .

Quid ergo est, quod adeo timemus persequitiones
aut tyrannos ? Atqui Deus potest hostium Ecclesiæ cor-
da immutare etiam quum maximè sœviunt : juxta *Psal.*
76.13. Exemplum vide in Judæis à morte Elephanto-
rum miraculosè liberatis, *3.Machab.5.toto.* Paulo, *2.Tim.*
4.17.18. Apostolis, *Act. 5.34.38.40.* Neque est abbrevia-
ta manus Domini , idem est qui antea, ejusdem poten-
tiæ & voluntatis.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S I X .

Textus. Actor. 28.

- 27. Factum est autem ut tertio post die convocaret Paulus Ju-
dæorum primos : qui ubi convenissent dixit eis : Ego, Viri
fratres , quum nihil fecerim adversus populum aut ritus
patrios , vincitus traditus sum Hierosolymis in manus Ro-
manorum .
- 28. Qui quæstione de me habita volebant me dimittere,
quod nulla sit in me causa mortis .

E X E G E S I S .

A Tque haetenus audivimus Lucam differentem
de felici Pauli Romam ingressu : deque tolera-
biliori ejus præ cæteris captivis conditione. In reli-
quis

quis hujus capitinis verbis, ad finem usque, refert actiones Pauli Romæ; easque *Speciales* primò cum Judæis paucis & multis: deinde verò *Generales*, nempe quod ibidem Euangeliū docuerit. Quod actiones *speciales* cum paucioribus, & quidem Judæis, attinet: ea potissimum fuere; *Oratio* ad primiores illorum habita; cuius *quatuor* sunt membra: 1. *Protestatur* se esse Romanis innocenter traditum. 2. *Confirmat* id ipsorum testimonio. 3. *Causam* suæ ad Cæsarem *appellationis* indicat. 4. *Veram causam* suæ captivitatis reddit.

Priora duo membra habemus in iis verbis: atque ita partem istius orationis. Ubi Lucas tria notat:

1. *Tempus* illius orationis. 2. Personas ad quas habita. 3. Partes ejus duas.

D E P R I M O . v . 17.

Tempus habemus in verbis: *Factum est autem ut tertio post die.* Tribus ergo post diebus quam Romanum venit. Sat citò, vix à laboribus molestissimi itineris requievit: non diu est otiosus; statim convocat Judæos: non quod ejus cause ab illis dependeret cognitio. Non enim ad eos appellavit, verùm ad Cælarem; sed ut hæc ratione posset eis Euangeliū Christi notum reddere, eosque ad cognitionem salutis per Christum partæ adducere.

D O C T R I N A.

Atque hæc est natura cum omnium in genere Christianorum verorum, quod promotionem spiritualem suorum proximorū ex animo desiderant: rūm in primis Verbi Divini Ministrorum fidelium, quod summopere studēt homines ad cognitionem Jesu Christi adducere. Quod

Quod patet ex exemplo Pauli, non tantum ex hoc loco, sed etiam *Phil. 1.18. Act. 17.16. & 18.5. Rom. 11.14.* Inde est, quod nec periculis moventur: sic Joh. Baptista, *Matth. 14. v. 3. 4.* Quemadmodum agricola intentus est operi agresti, nec aliis occupationibus distinetur: nautæ de navibus, ventis, portubus narrant: ita illi omnem curam ponunt in auditorum suorum institutione, consolatione, exhortatione: atque ita semper meminerunt illius proverbii: **H o c A g e.**

R A T I O I. Quia sciunt hunc esse proprium finem suæ vocationis, ut communem Ecclesiæ & singulorum fidelium salutem promoveant. Exemplum est in Paulo, *1. Cor. 9.22. 2. Cor. 5.11. 18. Eph. 4. 11.* Dona enim sua Deus non in aliuū finem confert, quam ut mysticum corpus Christi ædificetur: Hinc illa Petri hortatio, *1. Epist. 4. 10.*

I I. Quia amant suos proximos, ideoque etiam ex animo iis bene cupiunt, *Rom. 9.3.*

I I I. Quia sciunt singularia sibi promissa esse præmia; ut patet ex *Dan. 12.3.*

U S U S R E P R E H E N S O R I U S.

Utinam verò hoc probè in animis suis recondat multi hodie, qui se Ministros Ecclesiæ dicunt & Christi Domini: nec tamen Ministri fidelis habent naturā. Non ducent homines ad Christum; nā non docent. Contra eos est, *Esa. 57.3. al. 56.11.* Tales non sequuntur Apostolos, neque Episcopos Ecclesiæ primitivæ: de quo Brighmann⁹ in *Apost. 1. v. 2.* ita scribit: **M o n s t r u m i l l u d n o n d u m e d i t u m e r a t**, (nempe cum Johannes hæc scriberet,) ut Pastor quis esset, qui non omnino pascit. aut ut in cathedra Docto-

ris quis federet, qui mutus torpesceret, distractus aliis negotiis. Nemo Episcopus tunc extitit, cui docendi munus erat, qui non diligentissime docebat. Et Justin. Apolog. 2. quem idem Brighthm. ibid. citat: ~~negegat~~ quovis die Dominico ad minimum, ea quae commentaris apostolorum aut Prophetarum lecta fuerunt, plane & perspicue explicabat, tum etiam admonebat & hortabatur, ut imitarentur ea, quae sancta bonaque recitata audivissent. Tales velim considerare exemplum Pauli, Act. 20.31.

U s u s II. H O R T A T O R I U S.

Vos verò qui fideles haberi vultis Ministri, augete talentum vobis commissum, exemplo illorum servorum, de quibus vide Matth. 25. 20. Nec vos pudeat Euangelii Christi, Rom. 1. 16. alioquin accideret vobis idem quod illi servo qui defoderat talentum, Matth. 25. 28. Imitemini Magistrum vestrum, cuius esca erat, facere voluntatem Patris sui, Job. 4. 34. Cogitate vos esse speculatores, Hebr. 13. v. 17. Videte Johannem exemplo suo vobis praeuentem, Luc. 3. 8. Ut possitis cum Paulo dicere, Act. 20.31. Quò plures ad cognitionem Dei & salutis eorum adduxeritis, eo plures habebitis testes vestrae diligentes; dicetisque ex Esa. 3. 18: splendebitis ut stellæ, Dan. 12. v. 3. 4. Imò hæc erit vestra consolatio quæ fuit Pauli, 2. Tim. 4. v. 8.

D E S E C U N D O.

Ad quos Oratio habita? ad primos Judæorum, v. 17. Primi erant non tantum respectu ordinis; sed etiam gravitatis & authoritatis; ob eruditionem aliis præcelentem & vitae probitatem. Erant Doctores, Rabbini, Principes Scholæ.

D O C T R I N A.

In Ecclesiis Christianorum debent esse alii aliis priores, Seniores, Doctores: nec verendum est, ut plebi Eccles. ideo aliqua injuria vel præjudicium fiat. Non enim Ecclesia Christianorum est deterioris conditionis Judaicâ: at esset, si ibi confusè res agerentur. Ideoque Dominus dedit alios quidem *Apostolos*, alios vero *Prophetas*, alios autem *Euangelistas*, alios autem *Pastores & Doctores*; *Ad compactionem sanctorum ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi*, Eph. 4. v. 11. 12. In prima Ecclesia erant quoque Seniores, ut patet ex 1. Tim. 5. 17. & Jac. 5. 14. & 1. Joh. 2. 1.

RATIO I. Quia Ecclesia est regnum Dei spirituale: in Regno autem alii aliis præfunt.

II. Quia in Ecclesia omnia fieri debent ordine, juxta mandatum Pauli, 1. Cor. 4. 40. Hoc autem planè ad bonum ordinem pertinet.

U s u s R E P R E H E N S O R I U S.

Unde clarum est, eos valde peccare, qui ordini Ecclesiastico repugnant; nec ei se subjiciunt; sed contradicunt, quoties disciplinæ subduntur. Verum tales manet poena, non secus ac Chorë cum suis affeclis, Num. 16. v. 32. 33. Hoc verò eis unde? ex falsa opinione: putant enim in Ecclesia nullum esse discrimen: quia omnes fratres sunt. Verum, sed tamen Ecclesia est corpus ex multis membris constans. Ut ergo unum alteri non repugnat, ita nec illi debent. Maneat itaque Senioribus Ecclesiæ eorum inviolata authoritas: sunt enim vicarii Dei: qui eos audit, Deum audit; & qui illis repugnat, aut disciplinam non admittit, Deo repugnat, Lyc. 10. 16.

Meminerint ergo hortationis Pauli, qua eos ad obedientiam hortatur, *Hebr. 13.17.*

D E T E R T I O . v. 17.

Orationis Pauli duæ sunt partes; 1. Protestatur se immerito traditum fuisse Romanis. 2. Hujus rei ipsorum Romanorum adducit testimonium.

D E P R I O R E.

Hoc habemus v. 17. *Ego, inquit, viri fratres, &c.* De eo vide *Act. 21.23.* vel potius *cap. 25.12. & 26.32. & 27.1.* Licet enim nullius criminis eum Judæi potuerint convincere, tamen studebant omnino interficere: ut necesse haberit appellare ad Cæsarē, & ita in Romanorum devenire potestatem, *Act. 23. v.28.29.30.* Hic vero observandum, quam blandè & amicè Paulus istos Judæos compellat, vocando eos fratres, non tantum quatenus ejus erant proximi, *Matth. 18.15.* Sed etiam quatenus erant ejusdem gentis, *Exod. 2.v.11.* Imò, ita eos appellat, ut ostendat se ab iis non abhorrere: quin potius erga eos affectum fraternum gerere.

D O C T R I N A I.

Ea est natura charitatis veræ & non simulatae, quod etiam hostes suos diligat, à quibus injuria vel damno afficitur. Exemplum est in Paulo hoc loco. Sine causa eum Judæi trahiderant in manus Romanorum, prosequerantur vehementer, virgis cædebant, *2. Cor. 11.24.25.* Ejiciebant è medio lui, *Act. 13.50.* Lapidabant, *Act. 14.19.* Et tamen vide, quam sedulus curam eorum salutis agat, fratres suos compellat! Ita charitatem ipse describit, *1. Cor. 13.7.8.* Inde non tantum eos non deserunt, sed ubi opus est corrugunt, memores institutionis Apostoli,

*Jac. 5. v. 19. 20. & exempli Mosis, Exod. 32. v. 32. Christi,
Joh. 13. v. 1.*

RATIO I. Quia alioquin non esset vera charitas, si cessaret aliquando vel alicubi. Vera enim non deficit, teste Paulo, *1. Cor. 13. 7. 8.* Quod Cicero de amicitia protulit, nos majore jure de Christianorum amore possumus: *Ea nunquam fuit vera amicitia, quæ aliquando desinere potuit.*

II. Quia norunt, non personas, sed peccata eorum odio esse prosequenda.

III. Quia expressum de eo habent Christi mandatum, *Matth. 5. 44.* Cujus quidem pauci meminerunt, adeo ut Thomas Lynacer Medicus Anglus, cum hæc verba in templo audisset legi, diceret: *O amici, aut hæc vera non sunt, aut nos Christiani non sumus.*

U S U S C O R R E C T O R I U S.

Quam verò procul absunt ab hoc Pauli exemplo, qui sæpiùs ob leviculam causam proximos suos odio habent, persequuntur, à charitate desistunt. Exempla sunt; Saul persequens Davidem, *1. Sam. 26. 1. 2.* Popuius Judaicus & Christus, quem die Dominicæ humaniter exceperant, die sexto verò crucifigendum inclamabant. Hoc tamen interdixit Deus, *Levit. 19. 17.* Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo: liberè corripito proximum tuum: neque ferto in eo peccatum. Et Apostolus, *2. Joh. 3. 15.* Hinc veteres Christiani tale odium Gentilibus exprobabant: ut *Felix Octav.* Vos, inquit, nec invicem agnoscitis, ut in mutua odia seviatis, nec fratres vos nisi sane ad parricidium recognoscitis. Proderit itaque considerare exempla Christi in cruce pendentis, *Luc. 23. v. 34.*

Stephani, *Act. 7. 60.* Imò præceptum Dei, *Rom. 12. 20. 21.*
Si esurit inimicus tuus, cibæ eum: si sitit, da ei potum; hoc
enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus. Ne
vincitor à malo, sed vince bono malum.

D O C T R I N A. II.

Hinc apparet etiam conditio piorum in hoc mundo: sæpius illi licet innocentes sint, patiuntur quasi nocentes. Ita Paulus nihil contra populum admisit, non rebellionem excitavit, nec riuis patrios abolere cupiebat: attamen quasi id fecisset, accusabatur, & vincitus in manus Gentilium tradebatur. Ejus innocentia apparet, *Act. 24. 12. & 25. 36.* De tali statu piorum ipse loquitur, *Rom. 8. 36.* Domine, tui causa occidimus totum diem; reputati sumus velut oves destinatæ mactationi. Exempla: Josephus in carcere, *Gen. 40. 15.* Christus crucifixus, *Luc. 23. 4. 15. 47.* Paulus, & Barnabas, *Act. 13. 50.* Primi Christiani, quos Nero Tyrannus, urbis Romæ incendiarius ipse, criminis incendi reos falso egerat. Ideoque eos, inter tormenta alia, ferarum tergis involutos dilaniandos objecit, aut crucibus affixit, aut flammis extinxit: aut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis exussit; horrosque suos ei spectaculo obtulit. Tacito referente *l. 15. annal.* Hinc quisquis se Christianum profitebatur, is tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriori sui defensione capite plectebatur: ut ait *Sueton. in vita Neronis.* Huc etiam pertinet Paulus propter Euangelium incaceratus, uti ipse fatetur, *2. Tim. 1. 8. 16.*

RATIO I. Quia mundus eos habet pro sceleratis, omnique suppicio dignis. Inde nemo habetur seditus nisi Christus & ejus Euangelium: cum tamen pii sint

sint instar ovis, in fabula à lupo accusatæ, de aqua turbata, ex qua ovis non superiori ut lupus, sed inferiori loco bibebat. Excute exemplum Labanis & Jacobi, Gen. 31. 26. &c.

II. Quia magna est malitia impiorum, & quod inde exsurgit implacabile odium adversus pios, teste ipso Domino, Joh. 15. 19. Hoc autem odium non aliunde provenit, quam, quod piorum vita & doctrina cum impiorum non consentit: quinimò mendacia eorum & fraudes atque peccata detegit & damnat. Unde Dominus, Joh. 7. 7. *Mundus me odit, quoniam testificor de eo quod opera ejus mala sint.* Cur Johannes Baptista capite truncatus? quod Herodi diceret: *Non licet tibi uxorem fratris tui ducere, Matth. 14. 3.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Non est ergo cur miremur, si à mundo persequuntionem patimur; hæc est fors omnium piorum: quin potius patienter feramus, monente Christo, Luc. 21. 19. Neque putemus ibi esse veram Ecclesiam, ubi nullæ sunt afflictiones: aut eam falsam, quæ affligitur. Cum etiam aliquem calamitate premi videmus, caveamus à temerario judicio. Hoc etenim innocentissimis quibusque usu venire solet: cum è contra impii felicitate fruantur.

D E P O S T E R I O R E.

Hoc habemus v. 18. Quibus verbis Paulus suam innocentiam asserit testimonio Judicium Romanorum, qui ejus causam sæpius agitarunt, & qui liberè dimittetur, dignum censuerunt. Hoc vero factum est à Lysia, Act. 22. & 25. & 29. à Felice, Act. 24. à Festo, 25. ab

Agrrippa, *Act. 26.* Et sanè ita vivendum est, ut alieni à nostra Religione videntes conversationem nostram honestam, testimonium nobis bonum præbere necessitate habeant. Præterea videmus hīc;

D O C T R I N A.

Officium boni Judicis, qui non tantum neminem innocentem condemnat, sed nec inaudita causa. Ita hi Romani primò causam Pauli audiverunt: deinde, cum viderent nullam in eo esse causam mortis, volebant eum dimittere. Vide *Act. 26. 31. 32.* Hinc rectè Nicodemus: *Num lex nostra condemnat quempiam, nisi prius ex epso audierit, & cognoverit quid faciat?* *Joh. 7. 51.* Exemplum est in Jobo, *cap. 31. 13.* In Salomone, *1. Reg. 9. 27.* In populo Israëlitico, *Deut. 16. 18. 19. 20.* In Pilato, *Job. 18. 38.*

RATIO I. Quia Deus id mandavit, *Jer. 7. 5. 6.* Omnínō exercetote jus inter virum unum & alterum. Peregrinum, pupillam & viduam ne opprimitote, & sanguinem innoxium ne effunditote in loco hoc. & *Levit. 19. 15.*

II. Quia nisi faciant justa judicia, exosi sunt Deo, teste Salomone, *Prov. 17. v. 25. 26.* Imò & hominibus justitiam amantibus. Hinc Cambyses præsidem Sisamnem, qui pecuniā corruptus injustam sententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamque instravit tribunal. Postea filium Sisamnis Otamen in eandem sedem collocavit, ac jussit eum intuentem Patris exuvias justè judicare, ne simili supplicio afficeretur.

III. Quia justitiae administratione firmatur Regnum, *Prov. 29. v. 4.* Exemplum est in Iosia *Jer. 22. 15. 16.*

Usus REPREHENSORIUS.

Verūm ô quam pauci sunt hodie tales, & quam multi

multi injusti judices! multi qui innocentes Josephos condemnant, (Gen. 39. 19. 20.) licet sint casti & puri in vero Dei cultu: condemnant, *inquam*, ad ignes, ad carcères, ad funes, &c. etiam inauditos. Quemadmodum Bohemi id sibi in causâ Religionis accidisse conquesti sunt Pragæ coram Episcopo Olomucensi circa Annum Chr. 1431. Qui ad eos tanquam Legatus de reconciliandâ gratiâ inter Ecclesiam Romanam & Bohemicam venerat. Conquesti sunt, ajo, se non solum non convictos, sed ne auditos quidem & causâ incognitâ tam atrociter esse condemnatos, & suos injustâ violentia esse oppressos; referente Camerario in Histor. de FF. Orthodoxis in Bohem. & Moraviâ, pag. 50. Utinam vel quorundam suorum illustrium virorum imitenur exemplum! Sanè Ludovicus XII. Rex Galliarum Waldenses condemnare noluit, antequam eos audiret: causâ verò cognitâ liberos pronuntiavit. Nam (verba recitabo Caroli Molinæ I. C. Tractatu de Monarch. Franc. quæ refert Camer. in eodem lib. pag. 444.) Quum administrî Papæ Regi illi persuadebant Waldenses esse maleficos, Dæmonum invocatores, & omni libidini ad incestus usque prostitutes, eumque grande operæ præmium facturum, summiq[ue] erga Deum meriti, ingentemque mercedem à Deo sanctâque sede Romana consecuturum, si eos ad internectionem destrueret: & hujusmodi præstigiis excludere nitebantur Legatos dictorum Waldensium, & effuere ne Rex eos ut Dei & hominum hostes audiret. At Rex, heroico animo ait, quod etiam si cum Turcâ vel cum Diabolo bellum gereret, tamen eos audire vellit. Admissis ergo Legatis & eorum confessione Religionis intellectâ deinde ex suis commissariis, qui omnia perscrutati fuc-

rant, dejerans exclamavit Rex, habitantes illos, nempe
W A L D E N S E S meliores esse Christianos se & populo suo,
 Ideoque exercitum suum, quem jam contra illos instruxerat,
 reduxit, privilegia eorum & immunitates confirmavit,
 Quocirca David male Miphibosethum inauditâ causâ
 damnavit, 2. Sam. 16. 4. Idem vix non Waldensibus cir-
 cù An. 1550. accidit. Vide Historiam notatu dignam
 apud Thuan. lib. 6. Adversus tales Judices comminatio-
 nes Dei leguntur, Esa. 10. v. 1. 2. Psal. 82. v. 2. Prov. 22.
 22. 23. Ubi ipse Deus injustitiam ulcisci parat. O vos
 ergo Reges & Judices attēdite vobis, sequimini exem-
 plum Josaphati, 2 Paral. 19 4--7. Vestro hoc inservit
 honori, Prov. 25. 22. Præsertim si memineritis vos non
 tantum debere causam recognoscere, innocentisque
 velie dimittere: quod faciebant hi Romani: sed etiam
 innocentium causam tueri atque defendere. Ita demum
 justos vos exhibebitis Iudices: quod & Pilato & Felici
 deerat, Actor. 24. 27. Nostrum verò est, pro bonis Judi-
 cibus Deo gratias agere, & rogare, ut porrò tales nobis
 conservare dignetur. Sic Ecclesia orat, Psal. 72. 1. 2.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X.

Textus Actor. 28.

29. Sed contradicentibus Iudeis, coactus sum appellare Ch-
sarem: non tamen quasi habeam de quo gentem meam
accusem.
20. Ob hanc igitur causam vos advocavi, quos viderem &
alloquerer; nam propter spem Israelis circumdatus sum
hac catenâ.

Exe-

EXEGESIS.

ITa egimus de duobus membris Orationis Paulinæ; quibus & monstrabat suam innocentiam; & quomodo ab ipsis Romanis dimitti potuit, indicabat. Jam sequuntur posteriora duo. Nam poterat ei objici; quod si innocens fuisti, ecce ergo non es dimissus, sed ad Cæsarem appellasti? Ad hæc Paulus respondet per Occupationem. Itaque horum verborum duæ sunt partes;

1. De causâ Pauli ad Cæsarem appellationis. 2. De verâ causâ ejus captivitatis.

DE PRIORE V. 19.

In istis verbis causa illa redditur. 1. Per Propositionem veræ. 2. Per Remotionem falsæ causæ.

Quod PRÆTUS attinet, Propositionem habemus in verbis: *Sed contradicentibus Iudeis coactus sum appellare ad Cæsarem.* Appellare est, ad superiorem judicem sui defendendi causâ provocare; ut sit Ulpianus. Quod ergo Paulus appellari Cæsarem, in causâ fuit pertinacia Iudeorum. Quanquam enim scivit se posse à Romanis liberum pronuntiari: tamen in Iudeâ dimitti noluit. Timuit enim sibi à crudelitate Iudeorum & malitiâ, per quam facile fieri potuisset, ut etiam à Festo absolutus, quoquomodo ab illis è medio tolleretur, *Act. 23.14.* Hinc enim passim ipsorum voces, indignum Paulum, fuisse qui viveret; unde etiam omnem lapidem movebant, ne dimitteretur, sed interficeretur. Itaque coactus fuit provocare ad Cæsarem, & se à violentiâ hostium defendere.

De-

Licitum est Christianis justa apologia se defendere & suam innocentiam demonstrare bona conscientia, etiam coram Politico Magistratu. Ita videmus hoc loco fecisse Paulum. Hoc est quod dicitur Prov. 26. 5. *Respondet stolido secundum stultitiam ejus, ne sit sapiens in oculis suis.* Exemplum est iterum in Paulo, Gal. 2. 5. Et Act. 23. 1. In Christo, Luc. 11. 17. Joh. 8. 49. & 18. 23. In Davide, 1. Sam. 24. 10. 11. In mulieribus coram Salomone 1. Reg. 3. 17. In Jeremiâ cap. 26. 12 -- 16. Sic primi Christiani, cum in eos crudelissime sàviretur, scriptis Apologiis Imperatores compellabant, & coram perorabant causam suam; ut, *Quadratus Atheniensis Antistes; aristides Philosophus ad Hadrianum; Justinus Martyr ad Antoninum; ejus filios ac Senatum Romanum pro Christianis scripsit, effecitque ut publicis edictis sanctiretur, Ne quis Christianus, eo nomine quod Christiani essent molestiam exhiberet: sin quis negotium facessero pergeret, delatum liberum & absolutum iri ab accusatione, etiam si talem deprehensem: delatorem vero pena subiciendum esse.* Euseb. lib. 4. cap. 13. Idem fecerunt Melito Sardensis & Apollinaris Hieropolitanus Episcopi, Euseb. l. 4. c. 26. Tertullianus & alii. Ergò contra injuriosos licet opem Magistratus implorare.

R A T I O. 1. *In genere:* Quod ipse Deus Magistratum & Tribunalia instituit, qui tamen nihil contrarium charitati probat, Rom. 13. 4.

2. Ipsa natura docet justam defensionem esse licitam; quæ cuilibet creaturæ aliquid quo se à vi defendat consulit; ungues, dentes acutos & mordaces: fortitudi-

mem, pedum velocitatem &c. Inde dicitur, *Vim vire-pellere licet.* Justum etiam est, ut quā mensura metimur, contrametiatur nobis, *Luc. 6. 38.* Ac proinde vera est illa *Antiphontis* Oratoris Attici vox: *Incipienti ubi-que magna pena statutæ sunt: defendanti vero nulla pena denunciatur,* id est, defendantilegitimè.

Obj. Ergonè quilibet debet ulcisci suam injuriam quomodo velit? *Respondeo;* minimè. Nam isthīc loci tantūm est sermo de legitimis modis defendendi se: quales sunt Judices, Magistratus in hoc ordinati à Deo ut justitiam administrent: in hunc enim finem eis datus est gladius, *Rom 13. 2. 3. 4.* Non autem de privatā vindicta, quam Deus severè prohibuit, *Rom. 12. 19.*

Quæstio: Quomodo verò ais, licitum esse injuriam defendere; cum Christus prohibeat resistere malo? *Matt. 5. 38. -- 40.* *Respondeo;* Non interdicit ibi Dominus legitimam injuriæ propulsationem; sed tantummodo vindictam privatam: vindicatque Legem à corruptelis Phariseorum, qui privatis etiam dentem prædente excutere concedebant, oculum pro oculo eruere &c. Christus ergo contrarium docet, videlicet, neminem debere privatim se vindicare; usque ad quidem, ut potius majorem injuriam pati sit paratus, quām seipsum ulcisci. Ita enim immitteret falcem in alienam messem. Siquidem Dei est vindicta, ut ipse loquitur, *Deut. 32. 35.*

3. *In specie;* Ne Euangeliū malè audiat. Semper enim est invenire tales, qui Ecclesiam innumerabilibus onerant calumniis: dū calamitates, seditiones & alia mala Verbo Dei imputant. Quocircà optimè agunt, qui Apolo-

pologias scribunt, ut posteritas etiam sera innocentiam doctrinæ agnoscat. Atque huc pertinent Confessiones variis temporibus & locis editæ, quibus Ecclesiæ veræ pura doctrina declaratur.

U s u s R E F U T A T O R I U S .

Erronea est ergo doctrina Anabaptistarum, qui Magistratum tollunt, bella gerenda esse negant & defensionem: ideoque dicunt Christianos illæsâ fide & charitate Christiana judicia & actiones Forenses instituere non posse. Homines perperam Scripturam intelligentes, ideoque commiseratione digni & docendi. Atqui ipse Dominus ad judicium provocavit, *Job. 18. 23.* & Paulus Romano jure gaudet, *Act. 22. 28.* Vidua vero illa sæpè interpellavit judicem, *Luc. 18. 3. 4. 5.*

Quod POSTERIUS attinet; illud habemus in verbis: *Non tamen quasi habeam de quo gentem meam accusem.* Potuerunt enim Paulo objicere; ergo tu huc venisti ipsos Judæos accusatum? Respondet, non. Quamquam satis materiae habuit, maxult tamen omnia patienter ferre.

D O C T R I N A .

Hæc est natura fidelium & verè piorum, quod injurias privatas patienter tolerant, etiam summas, easque Deo commendant; uti hoc loco Paulus. Testimonia lege *Prov. 20. 22.* *Rom. 12. 17. 19.* *Prov. 17. 27.* *Tit. 3. 2.* Hinc eos Christus non *hirci cornupetis assimilat*, sed *ovibus* patientibus. Exempla sunt; in Mose, qui etiamsi multa à Judæis esset passus, tamen mansuetus erat, *Num. 12. 3.* In Davide, qui opprobria & maledicentiam Semei tulit patientissime, *2. Sam. 16. 10.* In Populo Israëlitico in captivitate

Vitate Babylonica, Thren. 3.30. In Christo, 1. Pet. 2.23.
In Zachariâ sacerdote, 2. Par. 24. 21. 22.

R A T I O 1. Quia sciunt sibi à Deo adversa immitti;
cui quantum est scelus resistere? Quemadmodum equi
& boves patienter ferunt jugum sibi ab heris suis impo-
ni, frænum ori: ita illi. Cur David in adversitatibus &
cruce obmutuit? respondet, quia Dominus fecit, Psal.39.
30. Idem vide in Asapho, Psal. 73. 22.

2. Quia sciunt Dei esse vindictam sumere, non eorum,
Rom. 12. 19. Ipsi soli causam suam committunt, quam
ut justus judex decidet, eosque tutabitur atque ulciscet-
tur tempore suo.

3. Quia patientibus hæreditas est promissa, Psal. 37.
II. Matth. 5.5. Psal 149. 4.

4. Quia student paci, concordiae & perfectioni. Jam
vero ubi non est patientia, ibi sunt defectus, teste Pau-
lo 1. Cor. 6. 7.8.

U s u s I. C O R R E C T O R I U s.

At quotusquisque est hodie, qui hâc Christianâ præ-
ditus sit patientia! imo quamprimum occasio objici-
tur litigandi, statim oleum camino infunditur: nihil
toleratur; sed à verbis mox ad verbera, ad pugnos, ad
gladios, ad bombardas descenditur: unde tristes sæpè
eveniunt casus & deploranda homicidia fiunt. Itaque
graviter hîc reprehendendi sunt impatientes injuria-
rum illi, qui Duellis injurias ulciscuntur. Modus omni-
nò est illicitus, & quidem ob has rationes. 1. Quia ta-
les Deo & Magistratui inferunt injuriam: ejus enim est
ultio & retributio, ut suprà ostensum ex Deut. 32. 35.
2. Quia nemo debet esse judex in suâ causâ, & maxi-
me

mè qui est irà turbatus, & furore atque cupiditate vindictæ correptus. *Quid mihi cum ultione cuius modum regere non possum per impatientiam?* Tertull. de Patient. 3. *Quia tales privant se beatitate, quam Christus patientibus promisit, Matth. 5. 5. 11. 12. Beati, qui sunt mites, quoniam ipsi terram hæreditario jure obtinebunt.* 4. *Quia non est modus justus se vindicandi. Nam saepius accedit, ut justior pars vincatur.* In *Decretalibus de purgatione vulgari can significantibus* describitur casus, duos, quorum unus alterum accusabat furti, inter se probationis causâ pugnasse duello, & justiorem cecidisse, furtumque apud alterum inventum fuisse.

Obj. 1. David congressus fuit duello cum Goliatho & rem diremit, 1. Sam. 17. 40. 49. *Respond.* Non valet consequentia, quia ille ducebatur speciali Spiritus sanctificatu, ut vir sanctus & Propheta: tu vero minimè. Nec nobis exemplis vivendum est, sed legibus.

Obj. 2. Habebor pro ignavo, nisi me ulciscar; & pro timido nisi cum antagonistâ congregiar: imò omnem existimationem amittam, &c. E contrà, si fecero, habebor strenuus & generosus. *Respondeo.* Diabolica est hæc planè opinio, quam vel ipsi Ethnici satis refutaverunt. Non est animi ignavi indicium, aut dedecorosum homini Christiano ferre injuriæ, sed inferre: ut aucta adducta loca ostendunt, quæ mansuetudinem atque patientiam jubent. *Aristoteles Ethic. cap. ii. lib. 5.* rationem hanc addit; quia injuriam inferre est effectum improbitatis, atque idcirco turpe & dedecorosum: pati verò aequo animo i effectum virtutis & proinde gloriosum. Rectè itaque in Galliâ & Angliâ duellorum certamina interdicta sunt.

Usus

Usus II. HORTATORIUS.

Nos ergò patientiā demonstremus nostrum Christianismum, juxta monita, *1. Tim. 6.11. 3. Jac. 3.13.* Invitat Christus suo exemplo, *Mattb. 11. 25. &c.* Ita obtinebimus gratiam Dei, *Prov. 3.34. Esa. 29.19.* Diversas, *Prov. 22. 4.* & vitæ æternæ hæreditatem, *Mattb. 5.5.*

DE POSTERIORE. V. 20.

Quia adhuc Paulo *objici* poterat: tamen incredibile videtur, Judæos abique omni causa decreto Festi repugnasse, teque incarcerasse: ideo Paulus veram suæ captivitatis causam *narrat*, cuius indicandæ gratia eos advocaverat. Ea autem causa erat *spes Israëlis*. Ita vocat *Messiam*, quæna Israëlitæ certa spe exspectabant. Hunc Paulus jam advenisse asserebat; eumque non aliud esse quam *Iesum Mariæ semper Virginis Filium*. Ob id Judæi magnum odium Paulo conflagrunt, eum incarcerarunt, compedibusque, vel ut ipse loquitur pathetice, *catena* vinxerunt. Monstrat vero catenam, cum posset dicere afflictionem vel injuriam, ideo ut clarum redderet, eum non pudere vinculum ob Euangeliū Christi; ut i clare testatur *Rom. 1.16.*

DOCTRINA.

Martyrem fieri & pro Christo pati non est ullum dèdecus, sed res gloriofa & honorifica. Hoc certè ex Pauli exemplo clarum est; & testimonio non tantum ejusdem, *Rom. 5.3.* Gloriamur afflictionibus; sed etiam Petri, *1. Epist. 4.13.* Ideo Nazianzenus scribit, *equum esse ut afflitos* (nempe propter Christum) *honoremus*, potius quam *contemnamus*. Hinc & Apostoli & alii martyres gavisi leguntur in ipso martyrio, *Actos. 5.41.* Moles ma-

luit esse martyr Christi, quām filius filiæ Pharaonis, *Heb. ii. 23.* Paulus vero quām sibi gloriosam crucem Christi duxerit apparet ex *Gal. 6. 14. 17.* *Babylas Episcopus Antiochiæ* quum jam ad supplicium iret, rogavit; *Nōlite, inquiendo, sepelire me sine catenis, quibus videtis meū corpus implicatum esse: sed unā cum corpore meo sepelite catenas meas, ne mihi in postremā mundi die ornamentiis meis carendum sit.* *Ludovicus Marsacus Nobilis Gallus Anno Christi 1553.* in Galliā combustus, cum duobus suis sociis, secum simul ad supplicium dūctis, videret funem singulorum collo apponi, neque tamen eum sibi deferri, quod Judices ejus Equestris ordinis ratione nō haberent, coram Subpræfecto ac cæteris Magistris maximā voce quæsivit, num causa fratrum sociorumque suorum alia esset atque sua. Atque hujusmodi verba cum precibus addidit; *Heu ne mihi torque Ordnis tam excellentis insigne denegetis.*

R A T I O. 1. Quia non ob scelera patiuntur, sed propter spem Israëlis: id est, propter nomen Christi, quo nihil augustius esse potest neque gloriōsius. Atque inde est quod Dominus eos qui propter nomen ejus patiuntur, *beatos* pronuntiat, *Matth. 5. v. 10. ii.*

2. Quia hāc ratione recipiuntur in societatem afflictionum Christi. Certè honorificentissimum est eiis, qui ad communionem calicis Regii præ cæteris eliguntur.

3. Quia pati pro Christo est indicium singularis Dei amoris, juxta testimonium Apostolorum, *Pauli. Phil. 1. v. 29.* *Petri, 1. Ep. 2. v. 19. 20.*

Usus INSTITUTORIUS. & Consolatorius.

O ter,

O terque quaterque beatos quos Christi afflictionum non pudet! Ceterè nec Christum pudebit eorum in extremo die; quod alioquin contrarium facientibus interminatur, *Mar. 8. v. 38.* Non est ignominia, non est, sed summa gloria pati pro Christo. Igitur honori etiam nos ducamus, si quæ patimur, exilium, carceres, defectus, &c. Examus cum eo ex urbe, ingrediamur in carcerem, ascendamus in crucem, secundum hortacionem Pauli, *Heb. 13. v. 13. 14.* Atqui ipse est nostra spes & salus: ipsum non pudebit nostri etiam in die ultimo; immò publicè fatebitur non esse ejus discipulos, confessores, martyres, membra, &c. Quod quām nobis gloriosum erit, nec mens humana nunc concipere potest: præsertim quum nos in Regnum Cœleste introducet, inquiens, *Venite benedicti, possidete regnum,* &c. *Matt. 25. v. 34.*

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S XI.

Textus. Actor. 28.

21. Illi vero dixerunt ei: Nos neque litteras accepimus de te ex Iudaea: neque adveniens quisquam fratum annuntiavit aut loquitus est aliquid de te mali.
22. Velimus autem ex te audire, quæ sentias. Nam de ista hæresi notum est nobis ubique ei contradicis.

E X E G E S I S.

Hucusque actum est de quatuor membris Apologiae Pauli vel orationis: sequitur ejus Effectus, qui est responsio Judæorum ad Pauli Orationem: quæ con-
tinet;

I. Testimonium Judæorum de Pauli innocentia. & Desiderium cognoscendi causam, Fidem & Religionem Pauli:

D E P R I O R E. v. 21.

Hoc volunt Judæi dicere; Nos facile credimus (ut ait) quod immerito captivus detinearis. Nam ad nos nihil perscriptum est, neque de tua personâ, neque de tua causâ vel tuis rebus. Praeclarum sane innocentiam Pauli testimonium. Interim vero nihil laborant de ejus liberatione, sed abeunt, ipse vero porrò manet vincitus, quasi esset nocentissimus.

D O C T R I N A.

Atque hæc est piorum conditio plerumque, ut etiam si sciantur immerito pati, adeò ut ipsi hostes innocentiam eorum testentur, nemo tamen eos liberare studet. Quod exemplo Pauli pater. De hac sorte queritur Job. 19.1. Testatur Ecclesiastes, cap. 4.1. al. 3.23. David. Ps.38. v. 12. Exemplum in populo Israëlitico, qui in captivitate Babylonica queritur de tali conditione suâ; Jer.1.15.19. In Servatore nostro, cuius innocentiam ipse Pilatus aliquoties fuit testatus; Ego, inquit, nullum crimen in eo invenio: attamen quis eum defendit, aut ejus causam egit? imò contrà omnes unanimi voce clamarunt, Crucifige, crucifige; item: Non hunc ed Barrabam. In Josepho, quem immerito fuisse in carcerem conjectum scivit probè Pharaonis Pocillator: sed num ejus liberacionis curam susceperebat? minimè: imò vero dicitur ejus fuisse oblitus, Gen. 40.15.23. In Davide, quem Saul immerito persequebatur; quod cui ignotum erat? nemini. Hinc illæ querulæ voces Davidis. Ps.3.2. & 53.2.

RATIO

RATIO I. Quia hæc est natura vulgi, ut eò inclinet, ubi est felicitas: Qui verò infeliciter agit, ei non applaudit: Prout rectè dicitur: *Quo fortuna, eò favor etiam hominum se inclinat.* Item: *Dum fueris felix, multos numerabis amicos; Dum fortuna perit, nullus amicus erit.* Hoc videre est in *Christo* & populo Judaico, qui cum die Palmarum Messiam agnoscebat, deinde verò ut crucifigeretur clamabat. In *Davide*, qui ideo conqueritur, *Psal. 41.10.*

2. Quia multi metuunt, ne defendendo pios aut in periculum incident, aut honorem amittant. Hujus rei exemplum nobis præbent, *Primores Judæorum*, *Joh. 12.43.* & *Joh. Rokycanus* Magister Pragensis, qui à Fratribus Orthodoxis Bohemiæ rogatus, ut eos qui tunc persequitionem patiebantur adjuvaret atque defenderet, respondit: *Si obsequi illis vellet, & gravissima adeunda pericula & similiter se se atque ipsi essent, in nullâ amplius dignitate, ac potius cōtemptum & abjectum esse futurum.* Cui evētui occasionem dare, sibi in animo non esse, ut unâ cum ipsis, quamvis bona causa sit, in existimatione & fortunis omnibus periclitetur. Item: *Quod sciret causam ipsis habere bonam.* Sed ego, inquit, si vos defendere vellem, in eodem, quo vos discrimine versarer. Camer. in Hist. de FF. Orth. p. 84. 86.

3. Quia infortunii hæc est etiam natura; ut nunquam solum sit, sed semper plura mala secum trahat: & nunquam est sine contemptu; ut patet in urbe Hierosolymorum, *Jer. Thr. 1.8. & 2.15.* Quod ei urbi fuit longè ante Deus minatus, *Jer. 18.16.*

U S U S I N S T I T U T O R I U S

O 3

Quod

Quod si itaque nobis etiam aliquando contingat immerito pati, ne miremur si ab hominibus deferamur, feramus patientes, ponentes nobis ob oculos exempla sanctorum & ipsius Christi, cui nos similes esse in cruce convenit, ut simus in gloria. Afflictionem semper sequitur contemptus mundi. Certò tamen statuamus, Deum aliquando innocentiam nostram manifestaturum esse: quo nos solatur Psalmista; Proferet Dominus tanquam lucem justitiam tuam; & jus tuum tanquam meridiem, Psal. 37. 6. Ita ut ipsi hostes licet inviti cogantur testari nihil mali de nobis accipisse, ut hoc loco. Dominicanus quidam Theologus, Jacobus Lielenstenius insigne testimonium exhibuit Fratribus Orthodoxis in Bohemiâ, licet esset eorum hostis, qui adversus eos libellum ediderat, & cum eis triennio sese versatum esse ajebat. Licet autem falsa & ficta narret, tamen in hoc est ingenuus: Dico, inquit, quod in moribus & vita boni sunt, veraces in sermone, in caritate fraternali unanimis. Camer. in Hist de FF. Orth. pag. 98.

D E P O S T E R I O R E.

Desiderium illud habemus vers. 22. Ubi duo propo-
nuntur; 1. *Desiderium illorum.* 2. *Ratio ejus desiderii.*

Quod **PRIUS** attinet; Illud *desiderium* est in verbis;
Velimus autem ex te audire, quae sentias. Jam inquirunt in
Pauli sententiam de Christo: intellexerunt enim eum
spem Israëlis vocasse Messiam. Quasi dicant; quando-
quidem intelligimus te unum esse ex Nazaræis; (ita
enim primò cultores Christi suèrè vocitati) nos au-
tem de illis nihil certi habemus: avemus de illis ali-
quid cognoscere; in primis vero, quid tu sentias: quæ-
so in-

so indica nobis, & prædica Verbum Dei, ut ex eo aliquid addiscamus. Pium sanè desiderium & imitatione dignissimum. Unde apparet ipsos non omnino fuisse pessimos: non enim planè negotium Christi contemnunt; quinimò (quod in eis laudabile est) audire desiderant.

D O C T R I N A.

Natura & indoles hominum Verbum Dei amantium est, non temnunt illud, sed desiderant; & ultrò rōgant ut eis Ministri Dei prædicent. Ita *hi Judæi* fecerunt. Idem videmus in Davide, *Psal. 42. 2. 3. &c. 119. 20.* In Populo ad Christū confluente, *Luc 8. 4.* In Cornelio, *Act̄or. 10. 33.* In Antiochenisibus, *Act. 13. 42. 44.* In Viro Macedone, *Act. 16. 9.* Inde, quoteiscunque datur occasio illud audiendi, non negligunt eam. Tale verò desiderium unde in illis provenit?

R A T I O . 1. Quia illud summo prosequuntur amore; ita ut Verbum Dei præponant omnibus terrenis thesauris. Quemadmodū videmus in Davide, *Pf. 119. 72. 127.*

2. Quia illud est cibus quo cibamur ad vitam æternam; vel ut Paulus vocat, *Potentia* ad salutem cuivis credenti, *Rom. 1. 16.* Quod cibus & potus est corpori nostro, hoc Verbum Dei animæ: uti ergo corpus vivere nequit absque alimento; ita nec anima sine Dei Verbo; juxta testimonia, *1. Cor. 3. 2. 1. Pet. 2. 2.*

3. Quia illud est medium à Deo ordinatum omnium spiritualium gratiarum acquirendarum; ut Fidei, *Rom. 10. 14.* Regenerationis, *1. Pet. 1. 23.* Resipiscientiæ, Conversionis & peccati sensus atque certitudinis Remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo, teste Paulo, *2. Cor. 5. 19.*

Usus I. REDARGUTORIUS.

Utinam verò talis zelus inter nos quoque repperiatur! Verùm proh dolor, quis est hodie, qui cum his Iudeis dicat Ministro, volo ex te audire Verbum Dei: vel, qui cum Cornelio mittat accersitum Petrum; ex quo audiat omnia quæ ei præcepta sunt à Deo, *Act. 10.33.* Aut cum Eunicho dicat, ascende currum meum, *Act. 8.31.* Imò ne rogati quidem veniunt, ut audiant. Sanè recessum est longè à fervore primitivæ Ecclesiæ. Réfert Athan. in *Apol. ad Conſit.* Cæſ de populo Alexandrino, quod tantà frequentiâ ad Pentecostes & Paschatis Festa confluxerit, ut senes quidam, puellæ & pueri compressi semimortui domum relati sint, divinâ tamen clementia nemo ex iis mortuus. *Aretius lect. 4. de Cena Domini.* Alii doctrinam Cælestem irrident, nec in ullo pretio habent. *Bembus*, qui postea Cardinalis factus est, cum ad Sadoletum venisset, & eum in enarratione Epistolæ Pauli ad Romanos aliquid operæ collocare intellexisset; *Omitte, inquit, has nugas.* Non decent gravem virum tales ineptiæ. *Strigelius in Psal. 4.3.*

Usus II. HORTATORIUS.

Nos verò diligamus Verbum Dei; probemus nos esse veros Christanos; nec contemnamus, existimantes, nos non multum fructum inde reportatiros. Quid scis ô homo, annon simile quid tibi accidat, quod Sauli. Ille sanè querendo asinas Patris sui Regnum inventit Israëliticum. Tu vero invenies rem longè preiosiorem: nempè Doctrinam salutarem: consolacionem adversus tentationes, infernum, dolores, mortis; ubi omnia tua bona dares, si modo consolator aliquis tibi

tibi adsit. Hæc verò consolatio est, Joh. ii. 25. 26. expressa.

Quod POSTERIUS attinet, Ratio illius desiderii est in verbis; Nam de ista hæresi &c. Hæresis, Græca dictio est, quâ optio, vel electio & secta significatur. Itaque Hæresis est dissidium circa doctrinam & fidem: propriè tamen est, partinax defensio & propagatio erroris contrâ fundamentum. Unde Hæreticum tria faciunt; 1. Error in fundamento aut circa fundamento Religoris. 2. Convictio. 3. Contumacia. Differt verò Hæreticus à schismatico: ille enim in Doctrinam impingit, hic in charitatem; dum dissidium facit circa ritum vel externam Ecclesiæ disciplinam, à qua discedit petulanter & ambitionis studio, salvo tamen fidei fundamento. Hi Judæi Doctrinam Christi Hæresin vocant, vel sectâ: Christianos hæreticos, sectarios, ex vulgi opinione; quod à Judaismo discessissent. Quum tamen non ille est hæreticus, qui ab erroribus se separat & puram Doctrinam Christi amplectitur: sed qui à pura Doctrinâ in Scripturâ fundata discedit ad errores. Antiquus est hic mos mundi, homines pios & Christi cultores pessimorum hæreticorum loco haberi; eis ubique contradicere, eosque persequi.

D O C T R I N A .

Vera Ecclesia multos habet adversarios: ubi vera Religio, ibi multi hostes: quia ubique ei contradicitur. De eo evolve testimonia; Lam. Jer. 3. 52. 53. 54. Psal. 3. 1. 2. 3. Nam uti rosa spinis & aculeis circumdata est; ita Ecclesia hostibus. Tyrannis videlicet, qui manifesta vi gravantur, ut Ecclesiam & Euangelium delcant: de-

inde *Hæreticus & Fanaticus*, qui varias doctrinæ corrumptelas fingunt. Hujus conditionis habemus typum in populo Israëlitico; ut is circum circa habebat hostes; sic Dei Ecclesia. *Exemplum* est in Hierosolymis, 2. Par. 20. 1. 2. In Judæis ex captivitate Babylonica reducibus, *Esdr. 4. 1.* In' Davide, *Psal. 69. 5.*

R A T I O I. Nec aliter fieri potest: Nam i. Multò plures sunt impii, quam pii: servi Diaboli, quam Christi; Prophetæ Baalis, quam Dei, 1. Reg. 18. 22. Inter quos est inimicitia magna, *Gen. 3. 15.*

2. Quia Ecclesia arguit peccata mundi, monet de pœnitentiâ, libidinibus ponit modum; quæ mundus ferre non potest. Hanc causam ponit Johannes 1. *Ep. 3. 12.*

U s u s I. R E F U T A T O R I U S.

Perperam ergo illi argumentantur, qui eam putant veram Ecclesiam, quæ felicitate in hoc mundo perpetuâ gaudet, adeò ut hanc etiam unam notam ejus possint. At quomodo hoc verum erit, quod dicitur *Act. 28. 22.* Christicolis ubique contradicitur. Et *Act. 14. 22.* Item *Joh. 16. 20.*

U s u s II. I N S T I T U T O R I U S.

Quod eò facit, ne quum Ecclesiæ hodie ubique etiam contradici videamus, dubitemus de ejus veritate, aut miremur. Nam hæc ejus est proprietas, ut multos habeat adversarios, & persequutores. *Quemadmodum* Sole lucente corpus umbra sequitur; ita veram Ecclesiæ afflictio. Omnes enim, omnes qui volunt piè vivere, persequitionem patiuntur, 2. *Tim. 3. 12.* Quod sanè optimo consilio Deus fecit, ne felicitate terrenâ vitulorum instar lasciviamus. Vide hâc de re loquenter

gem Ephraimum *Jer. 31. 18.* Utque fidem ac patientiam nostram probet, sicut probatur igne aurum. Quod enim est ignis auro, lima ferio, tritico cribrum, hoc est nobis crux & afflictio. Imò ut doceat nos non de terrā, sed de Cœlo assiduò cogitare debere, ubi nostra patria est. Est ergò crux magnum Divini amoris argumentum, ut potè salutis pharmacum: quod nō nisi à solo Deo proficiuntur, si nobis utile esse debet. Hæc tamen nostra sit consolatio; quod licet ubique nobis contradicatur, tamen Deus est nobiscum: quis erit ergo contrā nos? *Julius Cæsar* in tempestate marinâ navarchum fluctuantem ita est consolatus: *Ne timeas; julium enim Cæsarem ejusque fortunam vehis: illa te tutabitur;* multò majore jure nos lætemur: quia in navi Ecclesiæ Dominus Christus est nobiscum; qui eam ita dirigit, ut omnes qui cā vehuntur, in portum vitæ æternæ salvi deferantur.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S XII.

Textus. Actor. 28.

23. *Quum igitur ei constituisserent diem, venerunt ad eum in hospitium complures, quibus cum attestatione exponebat regnum Dei suadens eis quæ de JESU Christo sunt ex lege Mosis & Prophetis, à manè usque ad vespeream.*
24. *Et alii quidem assentiebantur ius quæ dicebantur, quidam verò non credebant.*

E X E G E S I S.

ATQUE hucusque tractavimus ea, quæ Paulus egit Romæ cum paucioribus, à v. 17. ad 23. Jam sequuntur

quuntur ejus actiones cum multis. Compluribus (ait Lucas) concionabatur, suadens eis Jesum Christum esse illum verum à Deo promissum Messiam. De hâc Concione agit Lucas in his verbis: ita tamen, ut eam non ponat integrum, ad finem jam deproperans: sed tantum quasdam ejus circumstantias, & eventum tunc in Paulo, tunc in auditoribus. Ergo hic habes;

1. Concionis Pauli Romæ primum habitæ quasdam circumstantias. 2. Effectum ejusdem concionis.

D E P R I O R E. V. 23.

In hoc versu quatuor circumstantiæ notantur; 1. *Locus.* 2. *Auditores.* 3. *Materia Concionis.* 4. *Quandiu concionatus fuerit Paulus?*

Quod PRIMUM attinet, *Locus* erat hospitium, v. 23. id est, conducta domus in qua ipse cum Lucâ & Aristacho ac milite custode vivebat, pro eaque mercedem solvebat. Christiani illo tempore nulla specialia habebant Templa: imò etsi habuissent, Paulo non erat integrum exire, quippè captivo. Templa verò Christiani ædificare cæperant dērum post *Annum Christi ducentesimum*; eaque *Oratoria*, quod ibi orationes & preces ad Deum instituerent, vocabant. Vide *Hospini-anum de Templis* pag. 28. &c.

D O C T R I N A.

Verbum Dei, preces aliique sacri ritus non debent sertis locis alligari, sed omnia ista bona conscientia poslunt peragi ubivis locorum, si modò fiant secundum Dei præscriptum. Exemplum est *hoc loco* in Paulo. In V. quidem *Testamento* ita erat cultus Dei Templo Hierosolymitano alligatus, ut extra illud sacrificare non licue-

licuerit; sicuti etiam Lex Dei nonnisi in Synagogis legebatur atque explicabatur, *Act. 15. 21.* Illud verò adeò observarunt Judæi, ut etiam in Templo illo superstitionibus prophanato, tamen sacrificarint. Ejecti verò terra suâ, ideo omnibus abstinuere sacrificiis. In *Nova* autem T. Salvator noster hoc liberum fecit; ut patet ex promissione facta mulieri Samaritanæ, *Joh. 4. 23. 24.* Et aliis fidelibus omnibus, *Matth. 18. 20.* Idem manifestum est ex locis sequentibus, *i. Tim. 2. 8. Philem. v. 2.* Et ex exemplo Christi, qui non tantum in synagogis docebat, sed etiam quoties dabatur occasio in montibus, sylvis, solitudinibus, in vicis publicis, privatis ædibus: ubi etiam Sacramentum Cœnæ instituit. *Apostoli* etiam Spiritum sanctum in Cœnaculo exspectauunt & accep- runt. Idem modò in urbe, modò foris conventus agebant; de quo vide passim in *Act. Apostolorum.* Primi Christiani in Africa tempore persecutionis Vandalicæ tum Ecclesiis, tum Ministris orbati, ubicunque potuerunt res sacras tractarunt. Idem hodie etiam licet.

R A T I O 1. Quia Deus ipse nulli loco alligatur; ita nec templis manufactis, ut ait Stephanus, *Act. 7. 47. 48.* & Paulus, *Act. 17. 24. 25.* Potest ergò ubique & Verbum Dei audiri fructuose, possunt & preces ad eum fundi.

2. Quia unus locus præ alio non est sanctior: inde neminem per se salvat aut condemnat; alias certè nec Diabolus in Cœlo, ubi ipsa sanctitas residet, peccâset, nec Adamus in Paradiso. Et si ita esset, quis salvari posset? omnes enim in mundo, cuius Princeps est Diabolus, vivimus.

3. Quia non locus, sive Templum Verbum Dei, sed Verbum

Verbum Dei locum sanctificat. Hæc tamen ita intelligi non debent, quasi publica exercitia & conventus sacros temnere licitum sit, & novos cœtus atque schismata patrare, prout cui libeat. Certè illud sine gravi scelere omitti non potest. Ideoque Apostolus adhortatur nesanctas cōgregationes deferamus, *Heb. 10. 25.* Et ratio est in promptu: nam Deus hæc media instituit, per quæ gratiam suam salutarem nobis conferre promisit. Sed tantum certo respectu; nempe, ne ob id, si publica loca frequentare propter persecutiones, morbum, &c. non detur, turbemur nimirūm.

U s u s I. R E F U T A T O R I U S.

Qui ergo cultum Dei ad certum locum alligant, Antichristum redolent. Ita enim ipse Dominus argументatur, *Matth. 24. 23. 24.* Quocirca nescio, quomodo se illi defendant, qui & Deum Templis ita alligant, ut existiment eum nos ibi solùm audire: & sanctitatem, quæ nos nostrásque preces Deo commendet, Templis tribuunt; ideoque precisè non solùm publicas, sed etiam privatas preces tantum in Templis concipiendas esse contendunt. Vide *Bellar. Tom. 1. col. 21. 92.* At sciendum est, locum non esse de essentiâ Verbi, sed Dei institutum, & quidem unum, solum. Huc apprimè facit dictum *Hilarii* in lib. contra Arianos: *Male vos partem amor cœpit: male Ecclesiam Dei in tectis edificiisque veneramini. Montes mihi & sylvae, & lacus & carceres, & voragine sunt tutiores.*

U s u s II. C O N S O L A T O R I U S.

Quod consolationi est iis qui Templis destituantur: ne existiment se propterea non esse veram Ecclesiam ejus-

ejusque membra; aut cultum, preces Deo non placere: imò; si modò ex puro corde proveniunt, placent, etiam si fundantur in sylvis, montibus, in mari, in terræ cavernis, cænaculis, &c. Hoc se etiam erigant, quòd illi ipsi sint viva Spiritus S. templa, teste Paulo, *1. Cor. 3. 16.* & *2. Cor. 6. 16.* Quæ caveant prophanare.

Quod SECUNDUM attinet, *auditores innuntur verbis, Venerunt ad eum complures;* v. 23. Verisimile est, venisse non tantum illos, quos vers. 17. Primos Ju-dæorum vocavit, sed etiam alios, Euangelium Christi audire cupientes. In quibus exprimitur *natura hominum* Verbum Dei diligentium: nam ad illud audiendum frequenter conveniunt. Quanquam enim non omnes crediderunt, tamen porrò nonnulli: nec illi, qui non crediderunt omnino erant pessimí: nam illud non contemnebant prorsus. Hanc Doctrinam vide jam ante tractatam, in præcedenti Concione.

Quod TERTIUM attinet, Materia ejus concionis erat Regnum Dei; id est, Euangelium, quod ita vocatur ideo, quia in eo credentibus Regnum Cælestè promittitur, *Joh. 3. 16.* Quod fidelium magnæ inservit consolationi.

Interim verò Lucas hic describit Modum, quo Paulus docebat; i. enim dicit, eum exposuisse cum attestatione. Nam testabatur & probabat Christum esse Messiam in cuius nomine salutem adipiscimur, teste Petro, *Act. 10.* v. 43. Christo etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum. Nullum etiam dubium est, quin eorum opinionem de carnali Regno Messiae

et su-

refutaverit. Quomodo enim veram doctrinam firmiter asseruisset, sine destruktione falsæ.

D O C T R I N A.

Quo expressit Paulus fidelium Pastorum officium, quod est, non tantum recta docere, sed etiam falsa refutare. Inde ille ipse hoc in Verbi Ministro requirit, *Tit. i. v. 9.* Oportet Episcopum esse tenacem fidelis illius sermonis, qui ad Doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrinā sanā & contradicentes convincere. Vide exemplum in Christo, qui & docebat & Pharisaicos errores destruebat. *Matth. 16. 6. ii.* In Paulo, qui cùm alia tum erroneam sententiam de justificatione refutabat, uti vides in Epistola ad Romanos & Galatas.

R A T I O 1. Quia nisi utrumque fecerint, muneri suo con facient latis. Aedificare debent: at quomodo, nisi priùs errores eliminabunt? Sunt doctores animarum & medici: Quomodo autem Medicus sanitatem restituet, nisi priùs corpus malis humoribus evacuabit? Quomodo canis custodiet domum, nisi adveniente future latraverit? Quomodo gressus ovium sanus conservabitur, retentā ove scabiosā?

2. Quia ipsorum est auditores suos de periculis admonere: quemadmodum ipse Deus hoc officium eius inculcat, *Ezech. 3. 2. 3.* &c. Quomodo autem efficaciter admonebunt, nisi errores procul abigent?

Quemadmodum signum littorale non solum in generē nautas de periculis monet, sed etiam loca vadosis indicat: ita Ministri ostendent, quos errores fugere debeant auditores, præsertim hodie in tām feraci sæculo erroneous dogmatum.

Usus I. CORRECTORIUS.

Utiham hoc probè attendant multi pastores, qui eratores refutare aut nolunt, aut non audent: imò non nulli nec vitia reprehendunt; veriti ne aliquem offendant. Tales quid aliud expectare debent, quam vñ illud per Ezechiem denuntiatum, cap. 13. v. 18.

Usus II. INSTITUTORIUS.

Proinde, nemo offendi debet si audit & errores refutari & hæreticos perstringi: nam ipsorum est hoc munus, Tit. 1. ii. Seductoribus oportet os obturare: & v. 13. Redarguito eos præcisè, ut fani sint in fide.

II. DIXINDE. Suadebat eis ex Lege, Mosis & Prophetis. Ubi nota; 1. *Suadebat*, id est, omnem movebat lapidem, ut fidem reciperent. *Dolens Pastores*, ne officium suum perfunctoriè peragant, sed summâ diligentia. 2. *Suadebat* ex Mose & Prophetis. Nullum est dubium, quin ex V. T. adduceret promissiones de Messia, easque ad Christum applicaret. Quò etiam pertinebant Typi ac Figuræ: imò expressæ Prophetiarum, quarum ubique plena est scriptura. Non ergo Traditiones alias allegabat; non somnia proponebat, sed verbum Dei.

DOCTRINA.

In Ecclesia nihil debet præter Verbum Dei prædicari; ex hoc argumenta promidebent & materia ad dicendum. Expressum est enim mandatum Spiritus S. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, 1. Pet. 4. ii. Et 2. Tim. 4. 2. Prædica sermonem illum; id est, qui in scripturis S. reperitur, in quibus Timotheus ab infantia fuit institutus, cap. 3. 15. Dominus noster idem præcipit, Matth,

28. 20. Exemplum est in Paulo hoc loco. Et Act. 26. 22
 1. Cor. 2. 2. & 9. 16. Hinc Abraham Diviti in inferno tor-
 menta patienti non dixit; Habent Traditiones, Tal-
 mud, &c. Sed Mosen & Prophetas, eos audiant, Luc.
 16. 29.

R A T I O 1. Quia Dei Verbum est perfectum, & omnia
 ad salutem necessaria continet. Ita testatur David, Psal.
 19. 8. Paulus, 2. Tim. 3. 16. 17. Rom. 15. 4. Unde Christus ve-
 rat ei aliquid addere, aut detrahere, Apoc. 22. 18.

2. Quia Ecclesia Dei non tenetur quicquā aliud au-
 dire, quam Verbum Dei, Matth. 17. 5. Luc. 16. 29.

3. Quia illud solum præstare potest ea omnia, qui-
 bus nobis ad salutem opus est. Nam regenerat nos,
 1. Pet. 1. 23. Illuminat nostros animos, ut iter ad Cœlum
 ducens videamus, Psal. 119. 105. Satanam abigit, ut
 Davidis cithara abigebat malum spiritum, 1. Sam. 16. 24.

Q u e s t i o . Annè ergo plane nihil unquam citandum
 est ex prophanis autoribus? R e s p o n d e o . Hoc vero sim-
 pliciter non est illicitum: Nam hīc tantū agitur de
 materia & arguento concionum proprio. Quic-
 quid enim est verum, possumus eo ad gloriam Dei uti.
 Itaque aliquando ex prophanis etiam autoribus citare
 licet: cum nempe sensus Grammaticus id postulat: vel
 ad confundendos Christianos, qui nonnunquam in Mo-
 rabus ipsis Gentilibus sunt negligentiores. Caven-
 dum tamen est, ne id fiat sēpē, sed quām rariissimē: idque
 sine affectatione vanæ gloriolæ; neque ad probandum dog-
 mata Religionis Christianæ: ad hoc enim solum Ver-
 bum Dei est sufficiens.

U s u s R e p r e h e n s o r i u s .

intol.

Intolerabilem ergò inferunt Deo & ejus Verbo injuriam illi, qui eo non contenti addunt suas Traditiones, quibus hominum conscientias ita obligant, ut *affirmant peccatum mortale esse violare Traditiones Pontificum*; Decreta Conciliorum obtrudunt, legendas Patrum prædicant. Nos verò hīc meminerimus effati Apostolici, Gal. 1. 8. *Etiam si nos aut angelus à Carolo Evangelizet vobis preter id quod accepistis, anathema esto.* Imò ipsius Dei, Esa. 8. 20. Hoc animadvertisant etiam illi, qui ex imaginibus & statuis notitiam Dei docent: unde eas *libros laicorum* vocant; contrà quos tamen gravitar pronuntiavit Propheta Jer. 10. 8. Nec minus illi errant hīc, qui plebeis Verbum Dei legere non permittūt: quasi verò mādatum Christi Joh. 5. 39. expressum, ad solos Clericos pertineat, aut verendum sit, ne aliquam concipient hæresin? atqui quotquot Hæreticorum capita erant, omnes ex doctorum genere prodierunt. Adde, quodsi Christo in terris versante plebs ejus Conciones audivit, ecce nunc easdem non possit legere? ut reētè Erasmus Roter. in Praef. ad N. T. Paraphrasin observavit. Ubi etiam addit, & Me quidem, inquit, *autore leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, denique legent & Turce.*

D E Q U A R T O.

Quamdiu concionatus fuerat Paulus? à mane usque ad vesperam. Ergò tota dies consumpta fuit in prædicando & audiendo Verbo Dei. Exemplum iterum tam Pæstoribus imitatione dignum, ut seduli sint in suo officio: quam auditoribus, ne tedium ipsis obrepat, si diutius concionatores loqui audiant. Hæc de Circumstantiis; jam de Effecto.

D E . P O S T E R I O R E .

Effectum Pauli Concionis habemus, v. 24 Verba
clara sunt: Unde sequuntur hæ Doctrinae.

D O C T R I N A . I.

Verbum Dei nunquam ab omnibus recipitur: semper aliqui reperiuntur, qui illud rejiciunt; uti ex hoc loco est manifestum. Et 1. Cor. 1. 17. 18. Et 2. Cor. 2. 14. 15. Id Christus parabolicè ostendit, Luc. 8. 1. &c. Esaias vero de eodem conqueritur, cap. 53. v. 1. *Quis credit prædicationi nostræ, & brachium Jehovæ in quo revelatur?* Verbum Dei est quibusdam odor mortis ad mortem: aliis vero odor vitæ ad vitam, teste Paulo, 2. Cor. 2. 16. Conciones à Noacho habitæ, à quibus receptæ fuerant? Jeremias queritur se viginti & tres annos parvum fructu Verbum Dei prædicasse; cap. 25. 3.

R A T I O . I. Quia necesse est ut impleantur Simeonis Verba, Luc. 2. 34. 2. Culpa non est in Deo qui omnibus illud prædicare jubet: nec in ipso Verbo; potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti, Rom. 1. 16. sed in hominibus eorumque cordibus, quæ sunt terræ instar, quæ alia est bona, alia mala, differente Christo apud Lucam, 8. capite. Omnia quidem hominum corda sunt terra mala à naturâ statim, Psal. 51. 7. 2. Cor. 3. 4. 5. Quod autem nonnullorum animi sunt terra bona, hoc non habent ex se & suâ naturâ: sed ex gratiâ Dei, quæ corda nostra lapidea molliora reddit, & illa aperit, ut Lydiae, Act. 16. 14. Atque hoc est quod dicitur, Act. 13. 48. Quod illi credunt, qui sunt ordinati ad vitam æternam, scilicet ab ipso Deo.

U S U S I N S T I T U T O R I U S .

Quod

Quod cōdē facere debet, ne mirum videatur nobis, nē
vē offendamur, si tām multos Euāngelium rejicere vi-
deamus, illudque persequi: multo minūs dubitemus
de veritate Ecclesiae, quāe paucioribus constat homini-
bus. Semper enim multi sunt vocati & pauci electi,
Matth. 20.16. Unde Salvator noster præmonet, & par-
vum suum gregem consolatur, *Luc. 12. 32.* Ne metue,
parve grec: nam libuit Patri uestro dare vobis regnum
illud. Demus etiam operam ne nobis verbum Dei fru-
strā prædicetur. Itaque 1. Recipiamus illud non tantum
in aures, sed etiam in cor, illudque diligenter conser-
vemus. Nam qui tantum audiunt, nec meminerunt;
similes sunt homini, qui urna perforatā aquam hauriat.
2. Domii sāpius repetamus audita, exemplo Davidis,
Psal. 119. 15. 3. Statim eorum quāe audivimus, praxin
instituamus. Nam hic est scopus prædicationis Verbi
Dei: ita erimus factores ejus, non solum auditores: &
simul benedictionem Divinam optinebimus, *Jac. 1. 25.*

D O C T R I N A. II.

Verbum Dei nunquam etiam frustra prædicatur, sed
semper sunt aliqui qui eridunt. Exemplum est *hoc loco.*
Ideoque *Jer. 23. 29.* Verbum Dei assimilatur igni. Hoc
verò promisit ipse Deus, *Esa. 55. 11. 1. Cor. 15. 58.* Quo-
tiescumque Christus vel Apostoli prædicarent, semper
aliqui assentiebantur: si nou erant manifesti, tamen
occulti. Tales erant Nicodemus, *Joh. 3. 2.* Joseph Ari-
mathæensis, *Luc. 23. 50. 51.* Eunuchus, *Act. 8. 27.* Lydia,
Act. 16. 37. 38. Mulier quādam, de quā, *Luc. 11. 27.*
legere est.

Obj. Sed qui credunt humiles sunt plerumque: Resp.

Quid tūm: Atqui Deus parvulis se manifestat, juxta Domini nostri testimonium, Matth. 11. 25. Pauli, qui ait, non multos sapientes secundum carnē esse electos, 1. Cor. 1. 26. 27. 28. David verò dicit; Domine ab ore infantium & lactantium fundas am disposuisti laudem, Psal. 8. 3. Nec tamen omnes sunt humiles & abjecti: sed aliquando **Principes**, ut Nicodemus; **Aulici**, ut Eunuchus; **Sapientes**, ut tres Magi.

RATIO I. Quia cum Ministrii Christi concionantur, adjuvat eos Spiritus S. internaque suā operatione efficit, ut Verbum in aliquibus sit efficax. Unde Christus, Non vos estis, inquit, qui loquimini, &c Matth. 10. 20. Et praeclarè Aug. Tract. 4. Exposit. in Ep. Joh. Nolite, ait, putare quenquam hominem aliquid discere ab homine: si non fit intus, qui doceat, inanis noster strepit⁹ est. Magisteria forinsecus adjutoria quedā sunt & admonitiones: in Cœlo Cathedræ habet, qui corda docet. Deus vero nunquam frustratur suā intentione. Nā quæ vult, facit, uti testatur David, Ps 10. 3.

2. Quia quamdiu erit mundus, semper erit Ecclesia; cuius colligendæ medium est verbum Dei, Firma enim est Christi promissio, quæ exstat apud Matt. 26. 41.

U s u s C O N S O L A T O R I U s .

Hoc nos soletur in modernis persequitionibus: videamus omnes hostes, diabulos, homines malos eō conspirasse, ut cursum Evangelii impedian; attamen frustrā sunt. Nam semper aliqui credent. Ecclesiam volunt exterminate? at id non efficient; quia Ecclesia erit, quamdiu mundus, juxta promissionem Christi, Matth. 28. 20. Est enim sponsus; habebit itaque semper sponsam; est Dominus; ergo habebit semper suos seruos;

vers: est Deus, ergo habebit etiam cultores.

Dices; attamen video ex multis locis fideles ejectos: ex Hispania, Italia, Bohemia, Moravia &c. Respondeo; 1. Nec ex istis locis omnes proflus: etiam ibi habet Deus aliquos Nicodemos, Iosephos: etiamsi nos de illis nesciamus. Quod Apostolus docet exemplo Veteris Ecclesiae, vide Rom. 11. 4. Et nota, magnam illo tempore fuisse persequutionem. 2. Etiamsi verò ibi nemo sit; tamen alibi erunt fideles. Si non in Bohemia, tamen in Polonia, Hungaria, Hollandia, &c. Si non in Europa, tamen in India, &c. Ita ut porro verum maneat, Ecclesiam fore semper in mundo, & aliquos qui Verbo Dei assentiantur. Dicamus ergo ad consolationem nostram cum Paulo, Rom. 8. 31. 34.

HYPOTYPOSIS CONCIONIS XIII.

Textus. Act. 28.

25. Quum autem inter se discordes essent digressi sunt postquam Paulus hoc verbum dixisset: Rechè sane spiritus S. loquitus est per Esiam Prophetam patribus nostris.
26. Dicens, Vade ad populum istum. & dic: Auditu audieris, & non intelligeris: & ridentes non videbitis & non cerneris.
27. Pingue factum enim est cor populi hujus. & auribus graviter audierunt. & oculis suis conniverunt: nec cernunt oculis & auribus audiunt, & corde intelligent, & conservant sese, & sanem eos.

EXEGESIS.

HAecenus egimus de eventu Orationis Pauli respectu auditorum, v. 24. Jam sequitur respectu Pauli ipsius. Nam aliam ad eos habuit sermonem, quo ipsum arguebat ingratitudinem, atque ideo minas Dei horrendas proponebat. Hæc oratio continetur versibus sex; à v. 25. ad 29. In hoc autem contextu habemus;

1. Judæorum incredulitatem & inobedientiam 2. Causam illius. 3. Poenas Dei ideo imminentes.

D E P R I M O. v. 25.

In quo versu Lucas tria notat; 1. Occasionem sermonis Pauli. 2. Ejusdem Præfatiunculam. 3. Ipsam Incredulitatem.

I. Quod OCCASIONEM attinet, ea fuit quod videret, multos non credidisse, de quo ita Lucas ait; Sed quum inter se discordes essent, videlicet increduli, digressi sunt; hoc est, cœtum dissiparunt vel dissolverunt, v. 25. Paulus itaque cum animadverteret se bonis modis & persuasionibus nihil profecisse; demum accedit ad redargutionem & comminationes.

D O C T R I N A.

Habemus in Paulo speculum prudentis Pastoris, qui primò docet; deinde, si ita nihil se proficere videt, arguit, & poenas denuntiat. Ita fecit Moses, Deut. 28. 1. &c. Paulus, 1. Cor. 4. 21. Act. 13. 44. 46. 47. Imitantur illi hæc in parte matrem, quæ filium plorantem primo blanditiis & adulatiunculis placare studet: postea vero, si hoc non proficit, acriùs increpat & aliquando virgis excipit.

R A T I O 1. Quia illis in id omnibus modis incumbendum est, ut hominum salus promoveatur: hinc

hinc omnia tentanda media, sunt vigiles, teste Paulo,
Heb. 13. 17. Multo consilio opus est, prudentiaque Pastoris,
mille ut dicitur oculis, ad spectandum undique habitudinem earum, quas gubernant animarum. Chrysost. de dignit. Sacerd.

2. Quia diversa sunt hominum ingenia: ideoque prudenter tractanda; quædam mollius, quædam acrius. Quam ob causam valde Medicis similes sunt: qui non iisdem medicamentis omnia curant vulnera, sed diversis emplastris: imo aliquando adhibent ustionem, sectionem, & alia.

3. Quia proprium est ipsorum officium peccata argere, expressum, Esa. 58. 1. Tit. 1. 13. Exemplum vide in Nathane & Davide, 2. Sam. 12. 1. In Johanne Baptista & Herode, Matth. 14. 4.

Usus REPREHENSORIUS.

Quemadmodum vero hic reprehendendi sunt illi Pastores, qui pro concionibus nihil agunt, nisi debachantur in suos auditores, affectum suum exerentes magis, quam curam & amorem ipsorum salutis: Ita nec ii sunt tolerandi, qui tantum docent, nec unquam vitia redargunt, metuentes hominum offendam. Isti sunt conationatores Placentini, non Veronenses: canes muti, qui latrare nesciunt; de quibus vide t. sa. 56. 10. al. 57. 2. Annuntiant pacem, ubi non est, Ezech. 13. 10. Annon vero peccata argere Dominus præcepit? imo per Apostolum, 2. Tim. 4. 2. Et exemplo præivit, Matth. 23. 3. Quem Paulus sequutus est, Gal. 3. 1. Qui vero metuunt offendere homines, offendunt suam conscientiam, & ipsum Deum. Unde Ambrosius (Epist. 29. ad

Imp. Theodos.) rectè ait; *Nihil in Sacerdote tam perniciosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere denuntiare.* ideoque Clementie Tuæ displicere debet Sacerdoti silentium, libertas placere. Quo circa meritò laudandus est theodoricus Gothorum Rex qui Diaconum suū è medio tolli jussit, eo quod omnia ad Regis nutum loqueretur, his additis: *Si Deo fidem nō prefas, multo min⁹ mibi domini fidē præstare poteris.* Ambrosius Theodosium Imperatorem aditu templi prohibuit, & cum eo expositulavit, quod Thessalonicae multos infantes interfecisset. *Theodore. lib. 5. cap. 16. 17.*

II. Quod PRÆFATIUNCULAM attinet, ea est in verbis; *Rectè sane Spiritus Sanctus loquitus est per Esiam Prophetam patribus nostris.* Quibus verbis vult ostendere, se jure meritóve ipsos incredulitatis & contumacia arguere, quippe quæ longè antè esset prædicta à Deo per Esiam, *cap. 6. v. 9.*

D O C T R I N A.

Spiritus Sanctus tertia persona SS. Triados est verus Deus. Quem enim Esias loco citato vocat Deum, eundem hīc Apostolus nominat Spiritum S. Huc pertinent etiam alia argumenta; quorum 1. est; *Quia expressè vocatur Deus, Act. 5. 3.* Ubi Petrus ad Ananiam ita: *Cur implevit Satanás cor tuum, ut mentireris in Spiritu Sanct. t.* Et v. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* 2. *Quia ab æterno fuit, Gen. 1. v. 2.* 3. *Quia creavit hunc mundum, Job. 26. 13. & 33. 4. Psal. 33. 6. 4.* *Quia omnia conservat, Gen. 1. 2.* 5. *Quia est ubique non tantum in coelo, sed etiam in terra, Psal. 139. 7. &c. 6.* *Quia omnia scit, 1. Cor. 2. 10. Job. 16. 13.* 7. *Quia in cordibus fidelium qui*

qui per totum mundum dispersi sunt, habitat, Rom. 8.9.
i. Cor. 3.16. 8. *Quia* nos regenerat, justificat, sanctificat, Joh. 3.6.8. *i. Cor. 6.11.* Quæ omnia tam attributa, quam opera nonnisi unius solius Dei sunt propria. 9. *Quia* cultus & honor Deo proprius ei exhibetur. Nam in eum *credimus*, prout in Symbolo Apost. fatemur: in ejus nomen baptizamur, juxta mandatum Christi, Matth. 28.19. Ad eum sunt prece^s dirigendæ, exemplo Apostolorum, *i. Cor. 13.13. Apoc. 1.4.* Ubi septem spiritus dicuntur non numeri, sed donorum respectu. Hinc ipsi Angeli Seraphim adorant Spiritum Sanctum, *Esa. 6.3.*

Usus I. REPUTATORIUS.

O intolerandam ergo eorum impietatem, qui ad tam clarum lumen cæcutiunt! homines ut in Spiritum S. injuriosissimi, ita ideo commiseratione dignissimi. Illi verò planè execrandi, qui fermissima hæc argumenta, ab Eternitate, Omniscentia, Omnipräsentia, Creatione omnium rerum, & Conservatione, cultu Dei petita, ratione sua corrupta audent aggredi infirmando: quæ tamen ita firma sunt, ut ea protulisse sufficiat; quicquid Spiritus Sancti hostes improbissimi ogganniant.

Usus II. INSTITORIUS.

Nobis verò hæc Fides Apostolica & Scripturæ S. firmiter est tenenda: ad eum utpote omnis boni datorum in necessitatibus confugiendum. Et quia in cordibus nostris habitat, cavendum est, ne tantum hospitem amittamus, quin potius conservemus. Amittitur à nobis tum, quum cum contristamus, à quo Paulus dehortatur, Eph. 4.30. Contristatur verò quoties videt contemni à nobis Ministerium Ecclesiasticum, doctrinam à Deo nobis

nobis traditam *negligi*, & preces sacras. Maximè autem offenditur *securitate carnali*. Quemadmodum enim furmus fugat apes, ita peccata Spiritum illum S. E contraria verò conservatur seria *pœnitentia* & *invocatione* nominis Divini; tum etiam conferendo dona ad gloriam Dei & ædificationem ejus Ecclesiæ.

III. Quod ipsam INCREDULITATEM attinet ea continetur v. 26. In quibus verbis Paulus arguit eos incredulitatis, contumaciæ, repugnantiæ, rebellionis, inobedientiæ: verbo; maximi peccati & sceleris, quod ultro scientes & volentes veritatem Dei abjicant. Similes eis, qui licet oculos habeant & aures: præ se ferunt tamen nihil se videre, nihil audire. Tales verò fuisse Judeos & Prophetarū libri & Euangelistarū testantur,

D O C T R I N A I.

Hic possumus tanquam in speculo videre naturam & ingenium hostium Euangelii. Nam etiam convicti veritati repugnant, obloquuntur, persequuntur veritatem non amplectuntur. Exemplum habemus hoc loco. De talibus loquitur *Jud.* v. 14. 15. Judæis talis contumacia ferè innata fuit: inde toties dura cervice populus vocantur, *Exod.* 32. 9. & 33. 3. 5. Tales erant tempore Esaiæ, c. 28. v. 10. & 30. 9. 10. 11. Jeremiæ, c. 5. 3. Christi, qui quanquam eum autoritate docuit, miracula fecit, ut ipsi necesse habuerint confiteri; Nunquam ita hominem fuisse loquutum, *Job.* 7. 46. Tamen eum studebant interficere, *Job.* 11. 50. Quod etiam fecerunt tandem. Julianus apostata huc quoque pertinet; nam etiam punitus à Deo misericordosè, Dominum Christum contumelia affectit. Bellum enim gerens cum Persis, in praetorio vulnus in capite acccepit

Accipit à milite, qui quis fuerit nescitur. Relatus verò in castra, sanguinem suum cava manu excipiens, sursum sparsit, impiissimè clamans: *Vicisti tandem Galilæe.* Huc refer quoque Historiam Pharaonis, qui tot plagis afflixtus, tamen populum Dei dimittere noluit, ut etiam diceret: *Qui est Jehova, cuius voci auscultem?* &c. Exod. 5. 2.

RATIO. Hoc verò ex summa provenit malitia, qua imbuti, nec admonitiones, nec minas quicquam curant, de quibus conqueritur Deus, Ef. 5. 9. Imò quo magis percutiuntur, eo longius recedunt à Deo: similes Judæis quos alloquitur Deus, Jer. 2. 30. Propheta verò de iis ad Deum ita: c. 5. 3. Nec mitum: nam impii postquam semel in aliquod peccatum prolapsi sunt, pergunt in eo; prout tales describit Jeremias, cap. 5. 24. 25.

Usus DEHORTATORIUS.

O scelus, o peccatum, Deo non obedire, ei resistere! Hoc Deus semper graviter ultus est, uti minatur, Isa. 5. v. 14. & 9. 12. 13. & 29. 1. Peccatum est quod stylo ferreo scribitur, Jer. 17. 1. Cur in Babyloniam abductus *Juda*? quod contumaciter Deo suo restiterit. Cur Hierosolymæ destruxta? quod licet scirent Christum à Deo venisse, tamen eum non receperunt. Hoc nos caveamus: nec sequamur Judæos dicentes, Jer. 44. 16. 17. Sed cum habemus oculos luce Euangelii illustratos, cernamus, & veritati Dei obediamus, juxta hortationem, Psal. 95. 7. 8. Ne eveniat nobis, quod Deus minatur, Prov. 1. v. 24. &c. Quin potius dicamus ex Jeremia, cap. 42. v. 5. 6. Et expemur quod promittit, Exod 15. 26.

DE SECUNDO. v. 27.

Ex quibus verbis appetat, causam istius incredulitatis
fuisse

Quis est pingue factum cor. Pingue factum cor est illud, quo nullas admonitiones, minas, suasiones quicquam curat. Verum quemadmodum locus pinguedine occupatus intumescit: ita nonnulli tumore arrogantiae & superbiae inflati, verbum Dei parvipendunt. Lentitudo etiam, quae pinguedini inest, eorum exprimit ingenium qui carni & terrae addicti, coelestia sponte fastidiunt & negligunt: immemores moniti Apostolici, Col. 3. v. 12. Inde jam sit, ut quanquam vocantur, tamen non accedant. Tales erant illi, qui ad Regias nuptias venire nobebant, Matth. 22. 5. 6. Quapropter Deus tales graviter increpat, iisque minatur, Esa. 65. 12. & 66. 4. Christus de ipsisdem queritur, Matth. 11. 16. 17.

D O C T R I N A.

Quod ergo homines pereant, causa non est in Deo sed in hominibus pingue factum cor habentibus; v. 27. Hinc vides Deum omnes voce Euangelii sui vocare ad participationem gratiae suae, Esa. 55. 1. Christum, Matth. 11. 25. Joh. 3. 16. Protestatur etiam se nolle mortem peccatoris, Ezech. 33. 11. Liberos Hierosolymorum quoties voluit congregare? at noluerunt: uti multis conqueritur super iis Dominus, Matth. 23. 37.

RATIO est manifesta; Deus enim est omnium bonorum author, teste Apostolo, 1. Cor. 1. 17. imò ipso Deo. Ose. 13. 9. Nec quicquā ab eo, nisi bonū provenire potest.

U s u s A D M O N I T O R I U S.

Animadvertisite huc animum quæso mortales: & videte ne quando conqueri necesse habeatis supervobis ipsis. Dum tempus est, redite ad eum. Reconciliemini cum Deo, pate ad eum, dum vocat: cor pingue factum reddi-

reddite tenue atque macrum. Hoc autem fiet; 1. Si à peccatis vestris resipueritis, monente Petro, 1. Ep. 2. 2. Quoties acceditis ad audiendum Verbum Dei, advenite cum desiderio discendi, exemplo Davidis, Psal. 119. 131. 3. Humiliter vos gerite, agnoscentes vestram misericordiam, indigentiam, ad bonū ex vobis ipsis inidoneitatē; Deo vero omne bonum referte acceptum. Humilibus Deus dare suam gratiam, 1. Pet. 5. 5. Illis mysteria sua revelat, Psal. 25. 9. 4. Precibus Deum sollicitate, ut ipse duritiem cordis vestri emolliat, pinguedinem removeat. Nam sine ejus benedictione nihil efficietis. Sic David orat, Psal. 119. 18. Nec dubitetis quicquam: promisit enim patenti-bus se datum, & preces eorum impleturum.

DE TERTIO.

Poenam duplieam eis denuntiat Paulus. Priorem habemus v. 27. à medio ad finem. Posteriorem, v. 28. Itaque quum dicit ne cernant oculis, &c. poenam Dei indicat. Sanè gravissima est, quod increduli, contumaces, rebelles non convertentur ad Deum, non salventur, sed pereant. Quæ major vel excogitari potest? Nam ut summa felicitas est & ineffabilis videre Deum. Visio enim Dei includit perfectissimam omnium bonorum participationem, & ab omnibus malis liberationem. Ita privari ejus visione, summum est malum. In quod increduli incident; & quidem ita, ut quamdiu tales manent, omnis eis ablata sit spes salutis. Hujus siquidem consequendæ non est aliud medium quam seria ex fide in Christi meritum resipiscentia.

DOCTRINA.

Perquam grave est peccatum, contemptus verbi Di-

vini: quod ex effectu consequente patet. Tales enim non convertuntur ad Deum, neque sanantur: ergo pereunt, juxta ipsius Christi testimonium, *Marc. 16. 16.* Eiusmodi poenam denuntiat Dominus, *Luc. 10. 24.* *Apoc. 21. 8.* *Esa. 66. 24.* *Matth. 22. 13.* Exempla sunt in Divitibus, *Luc. 12. &c. 16. capitib.* In primo mundo, quem Deus ob contemptum Verbi sui aquis delevit, *Gen. 7. v. 21.* *22. 23.* In Sodoma & Gomorrha, *Gen. 19. 24. 25.*

R A T I O I. Quia non est aliud medium à Deo ordinatum ad salutarem cognitionem quam ejus Verbum. Ideoque ad illud recurrere jubet, *Esa. 8. 20.* *Ioh. 5. v. 39.* *Luc. 16. 29.*

II. Quia Verbum Dei est nobis hīc relictum loco Dei ipsius: qui ergo spernit illud, spernit ipsum Deum; ac proinde dignus est atroci poena, *i. Thess. 4. 8.*

U s u s A D H O R T A T O R I U S & Dehortatorius.

Caveamus ergo ne similiter puniamur: apud Deum non est personarum respectus: vide quam punitus est olim dilectus Deo populus. Unde *Rom. 11. 21.* Paulus ait; *Deum naturalibus ramis non percipisse.* Verbum Dei ejusque Ministros magnifaciamus; secundum illud vitam nostram instituamus: nam *beati sunt, qui audiunt sermonem Dei & eum observant, pronuntiante Christo,* *Luc. 11. v. 28.* Huc facit insignis illa Jacobi hortatio, *c. 1. 22. 25.*

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X I V.

Textus Acto. 28.

28. Notum ergo sit vobis, missam esse Gentibus hanc Dei salutem, & ipsos audituros.

29. Quum

Quum ergo haec dixisset, exierunt Iudei, multam habentes inter se altercationem.

EXEGESIS.

ATque ita absolvimus jam Comminationis poenarum Dei prius membrum; nempe excœcacionem illorum: nunc agendum nobis est de secundo membro & poena. Non enim satis erat excœcari illos, sed gratia Dei ab eis debuit prorsus auferri. Itaque in istis versibus habemus;

1. Comminationem poenæ Dei, & promissum de vocatione Gentium. 2. Eventum Pauli orationis.

DE PRIOR E. V. 28.

Duae ergo hic sunt partes; I. PROTESTATIO Pauli; in verbis: *Notum ergo sit vobis*; q.d. Video jam quorum res vestrae inclinent, video vobis graveis imminere poenas Dei, video vos rejectum iri, auferetur vobis haec gratia. Hoc enim non obscurè indigitat vestra summa erga Euangeliū Christi ingratitudo; Nihilominus tamen adhuc tempus est, recolligite vos: Protestor, præmoneo, cavete ne in illas incidatis poenas.

DOCTRINA.

O inenarrabilem Dei clementiam & longanimitatem! Priusquam punit impoenitentes, præmonet, protestatur, vocat ut convertantur. Et quo majores immissurus est poenas, eo majores præmittit præmonitiones. Quemadmodum pius & misericors pater, non statim filios immotigeros cædit, sed præmittit varias admonitiones & asperas reprehensiones; Ita Deus. Quod facit primùm per Prophetas & Pastores, qui nos

Q

ad

ad pœnitentiam invitant, uti testatur *Nehem.* 9.30. Hinc *Amos* 3.7. Deinde per calamitates publicas & privatas, quæ nihil aliud sunt, quam admonitio de pœnitentia. Ita præmonuit ipse Cainum, *Gen.* 4.7. Ægyptios per Mosen & Aaronem: Ninivitas per Jonam: Regem Judæ Amaziam per Prophetam, ne pugnaturus assumeret secum populum Israëliticum; quod cum eo non esset, *2. Paral.* 25.7. Angelum Ephesinum, per Johannem Euangelistam, *Apoc.* 2. 5.

RATIO I. Ut saltem per comminationem pœnarum possint homines ad pœnitentiam adduci. Nullam ille negligit occasionem, exit cum prima luce, &c. *Matth.* 20. v.1. &c.

II. Ut deinde immissis pœnis homines sint inexcusabiles, juxta Christi sermonem, *Joh.* 15. 22. Neque possint Deum præcipitantiæ in puniendo accusare. Et enim longanimis, tardus ad iram, *Exod.* 34. 6. *Psal.* 103. 8.

III. Ut omnibus sit manifestum, Deum nolle hominem exitium, uti protestatur *Ezech.* 33. ii.

U s u s I. R E P R E H E N S O R I U S,

O lapideos homines, o contumacissima corda multorum hominum, qui nihil moveatur admonitionibus, invitationibus, comminationibus Dei; licet jam nonnulli moneantur à multis temporibus. Similes sunt Judæis quorum malos mores Deus tulit per 40. annos in deserto, *ad Eze.* 13. 18. Cerrè uti de illis conquerebatur, ita hodie de multis, per Zachariam, *cap.* 7. 9 -- 12. Et Christum, *Matth.* 23. 37. *ad finem.* Notum tamen sit talibus, Deum eos preferre, sed ad interitum, nisi resipiscant, *Rom.* 9. 22.

Usus II. HORTATORIUS.

Quocirca ô beatos illos, qui præmonitiones Dei admittunt, vitam suam meliorem reddunt! Nos ergo singularem Dei bonitatem in eo agnoscamus, quod non statim puniat: & Domini nostri tarditatem ad iram, salutem ducamus, 2.Pet.3.15. Hodie si vocē ejus audiverimus, ne obduremus animum nostrum, Psal.95.7.8. Quicquid adversi immiserit, loco harum paternarum præmonitionum excipiamus, sive pestem, sive famem, bellum, morbos; quo spectant etiam Eclipses Lunæ, Solis; Venti præter morem spirantes: multo magis concionatum hortationes.

II. Altera pars est in verbis; *Misericordiam esse Gentibus hanc salutem.* Subintelligit, vobis adimetur, & debitur Gentibus hæc salus: quod jam Dei beneficio abundantissimè impletum est. Inter omnes enim Gentes Euangelii prædicatio est propagata: juxta Paulum, Coloss.1.6. Verum non abs re est querere, cur ab eis debuit auferri Verbum Dei? ex præcedentibus clarum est; propter eorum incredulitatem, quod illud contemnerent, nec vellent recipere.

DOCTRINA.

Atque hæc est perpetua Dei consuetudo: ab ingratis & contemptoribus sui verbi tollit illud, aliisque mitit. Removet veros Pastores, unde famæ spiritualis sequitur. Quomodo enim crederent sine prædicatoriis? Rom.10.14. Hæc poena vocatur famæ verbi Dei audiendi, Amos 8.11. Eamque cominatur Deus, Deut.32. v.21. Matth.21.43. Inde autem nihil aliud sequitur, quam maledictio divina, Malach.2.2. Immissio efficacitatis erroris,

toris, 2. *Theff.* 2. 10. 11. 12. Ac tandem maledictio æternæ,
Deut. 28. 15. Exemplo est populus Judaicus, quem in ho-
diernum usque diem premit hæc maledictio: sunt enim
ejecti ex Ecclesia: & in eorum locum Gentes sunt vo-
catae, *Act.* 13. 46. *Rom.* 9. & 11. *capitibus.* Totus Oriens,
qui jure dicere potest ex *Psal.* 74. 3. 4. Græcia, Afis, A-
frica: Bethsaida, Capernaum, quibus civitatibus Chri-
stus vœ denuntiabat, *Matth.* 11. 20. &c. Bohemia, Mora-
via, & nonnullæ Germaniæ partes.

R A T T O I. Quia hoc ipsa justitia postulat, ut ab
ingratis tollatur beneficium. Quemadmodum enim
Deus honorantes se honorat, ita contemnentes se con-
temnit, quæ verba ipsius Dei sunt, *1. Sam.* 2. 30. Hoc vi-
dere est in Saule, *1. Sam.* 15. 23. Et populo Israëlitico, ejus-
que Sacerdotibus, quos ita Deus alloquitur, *Ose.* 4. 6. 7.

II. Ut ostendat se, suum verbum, ac cultum, non
esse ad certum aliquem locum vel populum alligatum;
sed posse se sibi cultores excitare, ubi libet, etiam inter
Gentes, in deserto, &c.

U s u s I. I N S T I T U T O R I U S.

Semper ergo erit aliqua Ecclesia Dei, si non in illa
parte mundi, at in altera, tertia. Licet multi conte-
mnant verbum Dei, tamen ipse plantabit illud alibi:
uti patet in Judæis, quos ex Ægypto transtulit in ter-
ram Chananæam. Nolint credere sapientes, nobiles;
eligerentur ignobiles & apud mundum contempti, *1. Cor.*
1. 26. Nolit Oriens, volet Occidens: Nolit Occidens,
volet America, vel iterum Oriens: Nolit Europa, vo-
let Asia, vel India.

U s u s

Usus II. HORTATORIUS.

Nos verò quantum possumus maximè caveamus occasiōnem Deo præbere ad hanc pœnā nobis infligendā, ne de nobis dicatur, quod de Judæis, *Jer. 8.9. & 6.10.* Nisi verbo dei privari velimus: quod tamen & necessarium est & utilissimum. Nam ambulantibus in hac terra, est dux, *Psal. 19.105.* cœcis, lumen; tristibus & afflictis, consolatio; dubitantibus, consiliarius; indoctis, doctor. Et quid non sit? Est omnia omnibus. Imò verò aliud etiam malum esset exspectandum, juxta comminationem dei, *Jer. 6.19.* Quamdiu quidem prophani homines otio & felicitate abundant, nihil curant hunc coelestem panem: sed postquam crux, afflictio ingruit, nū demum esuriunt, desiderant, ingeminant; cum fideles ministri non adsunt, conqueruntur, uti Judæi, *Psal. 74.9.* Ergo eos quum adsunt, honoremus, quippe verbi hujus præcones à deo constitutos.

DE POSTERIORE.

Eventum habemus v. 29. Ubi duo dicuntur de istis auditoribus; Unum, quod exierint vel discesserint à Paulo, postquam audivissent Esaiæ verba citari, usque suam contumaciam reprehendi animadvertisserint.

DOCTRINA.

Incredulorum ea est indoles, ut non libenter audiant peccata sua argui & reprehendi; plenumque offenduntur & abeunt, ut hi Judæi. De talibus loquitur Salomon, *Prov. 1.30. & 13.1. & 15.12.* Tales erant Israélitæ, Amos 5.10. Herodes, qui ideo Johannem Baptistam in vincula conjecterat, *Matth. 14.3.* Nazarethani, qui indignè ferebant reprobationem Christi, *Luc. 4.24.29.* Pha-

rifæi, *Luc. ii. 45.* 53. Tales similes sunt aspidi surdæ obtutanti aurem suam, *Psal. 58. 5.* 6.

R A T I O I. Quia nimirum suis peccatis delectantur; quo fit, ut non facilè ab iis se abstrahi patientur. Ingratum enim esse solet homini, dum videt se privari eo, quod in deliciis habet. Quantopere autem irregeniti vitiis delectentur, Spiritus S. explicat simili à bove & avicula desumpto, *Prov. 7. 22. 23.*

II. Quia castigationum utilitatem non percipiunt: unde stulti vocantur, *Prov. 11. 32.* al. 12. 1. Rectè. Annon magna est stultitia medicinam aspernari? hanc utilitatem expressit Paulus, *Hebr. 12. 11.*

U s u s I N S T I T U T O R I U S.

Hanc utilitatem nobis ob oculos ponamus: induamusque naturam non stultorum, brutorum animantium, sed Davidis, qui præclarè de se, *Psal. 141. 5.* Qui enim nolunt admirtere admonitiones, eos tandem suæ pœnitent contumaciæ, *Prov. 5. 12.* &c. Eæ necessariae sunt in Ecclesia: ideo eas Christus instituit, *Matt. 18. 15.* &c. Hoc verò docet nos non tantum in humanis reprobationibus patientes esse, sed etiam divinis. Quod si ergo paupertate, æruminis, morbis affligimur, ne indignè feramus; sed benignissimo nostro Patri gratias agamus, quod non sinat nos in ulteriora prolabi peccata: sed ea castigationibus dignatur emendare. Ideo que studeamus vitam nostram meliorem reddere, ejusque iram placare.

ALTERUM est, quod inter se multam haberent alterationem. Nam sine dubio, alii Paulum defendebant, qui nempe ejus sermonibus assenserant, *vers. 24.*
Alii

Alii refutabant, nempe qui non credebant.

DOCTRINA.

Verbum Dei semper habet duplices auditores, eosque diversos: quidam enim verbum Dei amant & admirantur: quidam de illo male loquuntur. Ita testatur Paulus, *1. Cor. 11.19. Act. 20.30.* Cain erat verbi contemtor & Abel amator. Noe illud amavit, totus mundus contempsit. Sic diversi erant auditores Christo dæmonium ejiciente, *Luc. 11.15. 16. 17.* Ideoque recte pronuntiat Paulus, *Rom. 2.28. 29. & 9. 6. 8.*

RATIO I. Quia haec est Ecclesiæ Dei in terris conditio, ut in ea semper reperiantur bonis permixti mali: Ubi est Sem & Japhet, ibi etiam Cham irrisor: Ubi David, ibi Saul: Ubi Paulus concionatur, ibi Nero persequitur. Hinc Ecclesia non male comparatur Lilio vel Rosæ inter spinas crescenti.

II. Quia ubicunque vera doctrina proponitur, ibi statim diabolus Ecclesiæ infidias struit, instruitque aliquos, qui illi vel falsa doctrina resistant, vel eam pravis moribus oppugnant. Exemplum est in Paulo & Iudeo Mago, *Act. 13. 6.*

Questio. Anne ergo Euangelium prædicatum causa est dissensionum, & quod alii non credunt, sed inter se altercentur? **Respondeo:** Minime. Quanquam multi impii Euangeliō mala imputant, tamen hoc non aliter est verum, quam quod Solis luce multi abutantur, ideo quod omnes ex æquo illustret.

U S U S I N S T I T U T O R I U S.

Quoties ergo in Ecclesia animadvertisca scandalum, ne offendamur, multo minus occasionem captemus in

corpore Ecclesiae schismata faciendi, quod rudissimi quidam faciunt. Annon n. oportet scandalorum fieri? nonne inter triticum sunt zizania? nonne Ecclesia est ovile, in quo non tantum oves, sed etiam sunt hædi? sagena, in qua boni & mali pisces? verissimè Paulus ait, 2. Cor. 2. v. 14. 15. 16.

Quæ unquam fuit tam sancta & pura Ecclesia, ut in ea aliqui mali non invenirentur? imò quæ societas? Adeoque rectè Augustinus Epist. 137. ait: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum & inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noë, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inventus est.* Nihilominus tamen demus operam, ne à nobis scandalorum oriatur. Væ enim illis, qui scandalizant fratres, Matth. 18. 6. 7. Ideoque Dominus, ne ulli offendiculo esset, vestigal solvit, Matth. 17. 27.

H Y P O T Y P O S I S C O N C I O N I S X V.

Textus. Actor. 28.

30. *Mansit autem Paulus biennium totum in proprio conduce: & excipiebat omnes qui ad ipsum ingrederentur.*
31. *Prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.*

E X E G E S I S.

ATQUE hucusque egimus de Pauli actionibus *specialibus*: jam considerandæ veniunt *Generales*, quæ continentur his postremis duobus versiculis. Refert

serit enim Lucas, Paulum quamdiu Romæ fuit, docuisse,
& quidem regnum Dei. Habemus ergo hīc;

1. Habitationem Pauli Romæ. 2. Occupationes
ejus circa prædicationem verbi divini.

D E P R I O R E. v. 30.

Hīc notat Lucas duas circumstantias; 1. *Tempus capti-*
vitatis, quamdiu duraverit? Toto biennio. Diu sancè du-
ravit ejus calamitas. Nam sub *Felice Præside* duos etiam
hæsit annos: & post ejus abitum ex Judæa, antequam
hanc peregrinationem susciperet, aliquot menses: iter
verò hoc vix quinque mensibus absolutum fuit. Hīc
iterum biennium. Cur verò? ob negligentiam Nero-
nis: qui maluit impiis deliciis se oblectare, quam ad-
ministrationi justitiæ vacare.

D O C T R I N A.

Hīc rursum occurrit nobis consideranda conditio
piorum: loco pessimorum hominum habentur. Pau-
lum vides in carcere immerito: cum tamen multi im-
pii fuerint, qui sub hoc Nerone impunè sceleribus se
polluebant. Testimonium est, *1 Cor. 4. 9. 13.* Exemplum
verò Christus & Barrabas, *Joh. 18. v. 40.* Saul & David,
2 Sam. passim. Jesabel & Elias, *1 Cor. 18. & 19.*

RATIO I. Quia magna est inimicitia inter piros.
& impios: secundum Prophetam, *Gen. 3. 15.* Illi regnum
Dei ædificant, hi verò permittere nolunt.

II. Ideo piis hic male est, ut post mortem eis sit be-
nè. Hinc non male aliquis Patrum orat: *Domine, hic
ire, hic seca; ut in altero seculo pareas.*

U s u s I N S T I T U T O R I U s.

Non est ergo novum, si hodie etiam pii affligantur,



& in-

& indigni qui vivant habeantur; ideoque nec mirandum, uti monet Apostolus, *1.Pet.4.12.* Nec offendimus. Non enim est justum, nostram conditionem meliorem esse tantorum Ecclesiæ lumen, Pauli cæterorumque Apostolorum: imò Domini nostri, qui hæc prædixit, *Luc.23.31.* Quo autem simus patientiores, ista exempla intueamur. Quemadmodum enim pictor habet exemplo suorum operum, in quæ semper inuenitur; ita nos hos viros intueamur mente, eoque imitari studeamus. De hac Doctrina jam ante plura dicta sunt *Concione prima*, Cap. 27.

II. Locum, in quo commorabatur, is erat hospitium illud prius conductum, v. 30. Non ergo cum aliis captivis erat, sed solus in æde habitabat, & excipiebat omnes ad se venientes, liberè: nemine prohibente; ne crudelissimo illo perseguitore Nerone. Ita solet Deus hostibus frenum injicere, ut fidelibus nocere nequit. Quod consolatione plenum est. Hanc Doctrinam vide jam supra tractatam, *Concione Octava*, Cap. 28. Quo addi possunt hæc exempla; *2.Reg.1.9. Joh.7.44. & 18.6.* Constantius Constantini M. filius ita fascinatus erat præstigiis Ariani dogmatis, ut Sebastiano cuidam Tribuno militum negotium daret interficiendi Athanasium. Cum igitur Tribunus obsidione cinxisset templum, in quo nunc erat Athanasius, & præsentem mortem viro dei intentaret, mirando modo Athanasius servatus est. Etenim per medium agmen militum transivit, ducente domino, & à nemine agnitus est, *Theodor. I.2. Hist.6.113.*

D E P O S T E R I O R E.

De concionibus Pauli habemus v. 30. 31. Ubi hæc verius

niunt excutiendæ circumstantiæ: *Cui concionabatur?*
 2. *Quidnam?* 3. *Quomodo?* 4. *Quo successu?*

Quod PRIMUM attinet, illud est in verbis: *Et excepiebat omnes, &c. v. 30.* Neminem à salute quam annuntiabat, rejiciebat. Ubi docemur, peum non respicer personas, sed quoslibet, cujuscunque illi tandem sint conditionis, ad gratiæ suæ communionem admittere. Hanc Doctrinam vide jam tractatam, *Concione Quinta Cap. 28.*

Quod SECUNDUM attinet, illud est in verbis: *Prædicans regnum Dei, &c.* Quid per regnum Dei intel ligat, statim subjungit, ea nempe, quæ sunt de Domino Iesu Christo: id est, quicquid pertinet ad ejus negotium. Huc facit, quod ille sit verus Messias mundo exhibitus: quod hominum salutis causa mortem oppetierit: quod vitam æternam sit promeritus; quod cœlum nonnisi per ipsum acquiratur, teste Petro, *Act. 4. 12.* Unde videmus non tantum ad cœlos non patere aliam viam quam per Christum: illo enim fine mortuus est: sed etiam materiam concionum nostrarum non aliam esse debere quam dominum Christum.

D O C T R I N A.

Ministri verbi Dei nonnisi ea quæ sunt de domino Iesu Christo prædicare debent; exemplo Pauli hoc loco: & *1. Cor. 2. 2. 6. 7.* Iple dominus etiam non alia inculcabat, uti videre est, *Luc 24. 27.*

R A T I O. I. Quia nisi hoc prædicetur, omnia alia scitu sunt inutilia & vana. Si enim Christum nescis, nihil est si cetera discis. Contrà; nihil aliud scire quam Christum, sufficit: Si enim Christum discis, satis est si cetera nescis.

nesiū. Hinc Paulus Gal. 6. 13. 14. sanctissimè loquistus.

II. Quia ex hac materia acquiremus ea, quæ nobis
absolutè sunt necessaria: qualia sunt; reconciliatio cum
Patre, pax bonæ conscientiæ, justificatio, remissio peccatorum;
juxta testimonium Apostoli, Joh. i. 15. 16. 1. Joh.
2. vers. 1. 2.

U s u s I. R E P R E H E N S O R I U S.

Quod uti multos reprehendit, qui non ea, quæ de
Jesu Christo sunt, concionantur, sed quæ de meritis
Sanctorum, eorum intercessione, nostri curâ: quasiverò
Christi intercessio non sit omnibus modis absolutissi-
ma, meritumque ejus sufficientissimum. In eos intonat
Paulus, Gal. 1. 8. Tales non amant Dominum Jesum:
Ideo anathema sunt: quo eos Apostolus per-
cutit, 1. Cor. 16. 22.

U s u s II. I N S T I T U T O R I U S.

Ita etiam multos auditores instituit, ut nonnisi Regnum Dei audire desiderent. Hoc solùm iis prodest: cætera nihil. Neque sunt ex numero eorum, de quibus Paulus prophetavit, quod habebunt pruriētes aures; ideoque sibi secundum suas cupiditates acerbabunt doctores, 2. Tim. 4. 3. Ex hoc censu sunt, qui semper aliquid novi averti audire, quod prius non audiverint: de Christo crucifixo, de Regno Dei vulgare nimis videatur: unde subtilitates aliquas affectant, & inter docentes faciendo discrimina sectas excitant exemplo Corinthiorum, 1. Cor. 3. 4. 5. &c. Sed tales audiant Paulum, Philip. 3. v. 1. Cujus exemplum sequantur etiam Ministri.

Quod TERTIUM attinet, illud est in verbis;

cum
omniā

omni libertate. Ergo concionabatur liberè, audacter, neminem timebat, omnibus loquebatur veritatem sine dissimulatione: tam liberè in captivitate, quam cum per mundum peregrinaretur officio suo functus est: licet multis periculis se expositum videret, ut ovem inter lupos rapaces. Nihil eum movebat quod solus esset in hac causa: sed docuit loquendo, scribendo: ore, penna. Inde enim prodierunt Epistolæ, ad Ephesios, Philippenses, Colloſſenses, Hebreos, Philemonem, Posterior ed Timotheum.

DOCTRINA.

Fidelium Ministrorum est, non tantum tempore pacis, sed etiam persequutionis, adeo ipsius incarcerationis liberè officio suo defungi, exemplo Pauli hoc loco. Testimonia vide, Eph. 4.1.1. Cor. 9.16. Hinc Christus eos dicit esse mercenarios, qui adveniente lupo gregem suum deserunt, non solantur, Joh. 10.12. Exempla sunt: in Jeremia, qui ex Babylonica captivitate scripsit Hierosolymas; in Johanne Baptista, qui ex carcere misit discipulos suos ad Christum, Matth. 11. 2. In Paulo, cum ei Agabus prædiceret persequutionem, Act. 21. v. 13. In S. Andrea, qui pendens in cruce, non cessabat populum docere. In Johanne Husso, qui, quam elegantes scripserit ex carcere suo Epistolas, testatur ejus innocentis mortis historia.

RATIO. I. Quia hoc est Ecclesiæ Dei utile, & nisi fiat ab iis, detrimentosum. Quid enim auditores facturos putamus, qui Ministrum suum in veritate languidum vident? qui eos non animat, nec consolatur; verendum est ne desificant, Zach. 13. 7. Econtra constan-

tes erunt, si duces suos animosos & fortes animadver-
terint, *Phil. 1. 14.*

II. Quia hoc Deus mandavit, *Jer. 1. 17.*

III. Quia Christus ita facientibus retributionem
promisit, *Apoc. 2. 10.* Nam pretiosa est mors sanctorum
in conspectu Dei, *Psal. 116. 15.* In hanc rem egregie Cy-
prianus Epist. 72. loquitur; *O pedes feliciter vincit, qui in*
itinere salutari ad paradisum diriguntur! o pedes ad præsen-
ti seculo ligati, ut sint semper in cœlis apud Deum liberi.

IV. Quia in periculis, carceribus non minus sunt
servi Christi, quam cum sunt liberi.

U s u s H O R T A T O R I U S.

Hoc ergo meminerint timidiusculi quidam Paſto-
res, qui statim ac aliquid adversi accidit, silent: similes
Jonæ Tharsum fugienti, *cap. 1. 3.* Sed quam malè talib-
us cedat, ejusdem casus docet. Illi multo magis hoc
notent, qui pacis etiam tempore in officiis suis valde
sunt ignavi, nemine tamen loqui prohibente. Quid
verò de talibus sperandum, si aliqua ingruat persequu-
tio? si surgat aliquis Nero, aut Saul, aut Cajaphas?
Itaque se hoc Pauli & aliorum exemplo excitent ad fe-
dulitatem muneris sui.

Quod QUARTUM attinet, respondet Lucas, cum
feliciter progressum fuisse; in verbis; *Nemine prohi-
bente.* Nemo impedit, nemo loqui ac docere Re-
gnum Dei prohibebat. Ejus nulla alia causa erat, quam
Dei voluntas & singularis Providentia, que doctrinam
de Christo propagari volebat: & licet multi essent ho-
stes, tamen nemo prohibebat.

DOCTRINA.

Cursum Euangelii nemo impedit potest: potest illud etiam inter hostes maximos & infensissimos crescere. Sine voluntate Dei nemo potest ejus Ecclesiae nocere. Quoties Judæi autoritate magna Apostolis interdicerent prædicare Christum & tamen nihil effecerunt; sermo Dei crescebat, & discipuli multiplicabantur, uti patet, *Act. 2.47. & 12.24.* Imò quo cursum hunc magis prohibebant, eo magis eum promovebāt. Sauli crudelitas cām Ecclesiam Hierosolymitanam dissipasset, fidèles tanquam tabulæ ardentes ex urbis incendio dispergi, totam Samariam & Judæam Euangelii prædicatione accenderunt, *Act. 8.1.* Hæc probè consideravit Tertullianus; ideoque in *Apolog.* ita crudeles tyrannos alloquitur: *Cruciate, torquete, dammate, atterite nos. Exquisitior quæque crudelitas vestra illecebra est magis sectæ. Plures efficiimur, quoties metimur à vobis. semen est sanguis Christianorum.* Pharisæi suis interdictis, ne Christum quisquam profiteretur, adeò nihil effecerunt, ut potius ista occasione populus ad ipsum audiendum majore studio confluxerit. Ibi verum apparuit illud: *Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.* Certè persecutiones illæ sub tyrannis Imperatoribus Paganis adversus Christianos institutæ; & patrum nostrorum memoria in variis Europæ regionibus ineffabili crudelitate à persecutoribus Ecclesiae exercitæ, plus satis hanc doctrinam confirmant. Non enim cursum Euangelii inhibere potuerunt. Hinc veteres dixerunt: *Sanguinem martyrum rigatam esse Ecclesiam.*

RATIO I. Quia verbum Dei ligari nequit, *2.Tim. 2.*

v. 9. Quemadmodum palma, quo gravius premitur, et
altius surgit: & ignis, etiam id quo obruitur, accendit
ita verbum Dei, *Psal. 92. 13.*

II. Quia Deus est custos suæ Ecclesiæ & protector, ad-
versus quem non est prudentia, neque astutia, neque
consilium, juxta Salomonis testimonium, *Prov. 21. 30.*
& Pauli, *1. Cor. 3. 19.* Exemplum vide *Act. 9. v. 23.* & se-
quentibus.

U s u s C O N S O L A T O R I U S .

Quæso recondamus altius hanc doctrinam, & non
turbabimur tantis Ecclesiæ calamitatibus, imò ne cru-
delissimis persequotionibus. Vana enim sunt & ina-
nia omnium tyrannorum aduersus nos consilia. Va-
na est eorum sine virib[us] ira & conatus: cursus Eu-
angelii nemo impediet; loqueretur Paulus etiam capti-
vus, *nemine prohibente.* Licet convenient, & consilia in-
eant, tamen Dominus ex alto videt ridetque, *Psal. 2. 1. 2.*
Decernant licet infantulum Jesum ad mortem, ut He-
rodes; confundentur tamen, *Matth. 2. 5. 6.* Imò incar-
cerent, ut Paulum Philippis: nec ibi otiabitur Dei ver-
bum, sed fructum proferet in carceris custode, *Act. 16.*
v. 31. &c. Hoc faciunt illi qui Euængelium prohibit, *qui Solis* cursus impedire velit. O insani! Consilium
Dei stabit, *Esa. 46. 10. II.* Nam licet aliquos è medio
tollere possitis, Ecclesiam tamen non potestis eradicare.
Gaudet enim illa decerpit, & renascitur lætior. Ut
amaranthus herba, defracto flore, plures producit: &
vitis putata fructum profert: & uvæ nisi torculari pre-
mantur, vinum non exprimunt: Ita Ecclesiæ floren-
tissima est conditio, dum premitur. Imò hoc ipsum
quod

CONCIONIS XV.

257

quod hinc tollimus, salutem nostram promovet. Nam
 salvator noster ideo in cœlos ascendit, ut terra exclusi,
 in cœlum recipiamur: ab hominibus discedentes, ut
 ad Deum eamus; defracto hujus carnis tabernaculo, ut
 habeamus domum æternam in cœlo; ubi nulla erit
 amplius persequutio, nullus hostis, nulla invidia, nul-
 lum odium, nulla calamitas, nullus morbus aut animi
 ægritudo, sed felicitas & gaudium, quod oculus licet
 multa videre possit, non vedit; nec in mentem huma-
 nam, quæ ineffabilia sibi imaginari potest, ascendit.
 Cujus nos etiam quam primum participes facere di-
 gnetur, SS. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus
 Sanctus. AMEN. AMEN.
 AMEN.

*Finis Posterioris Partis Peregrinatio-
 nis Pauli.*



R

INDEX

INDEX DOCTRINARUM
quæ in istis Concionibus Practicis
continentur.

1. **S**pirituales vel (ut vocant) Clerici Magistratui Poli-
tico subjecti esse debent. 9
2. Judices tardiores esse convenit in ferenda capitali sen-
tentia. 12
3. Pii mundo habentur pro sceleratis. 14
4. Deus suos in afflictionibus nunquam deserit, quin potius
de mediis quibus eos consoletur, iis prospicit. 16
5. Deus non raro ex inimicis atque hostibus Ecclesiae facit
amicos: ex iis, qui à fide sunt alieni, benefactores. 18
6. Pii aliquando ex animi sententia non succedit, licet uo-
cationem suam sequantur. 20
7. Deus fidelibus providet de rebus necessariis etiam absque
magnō illorum labore. 22
8. Deus aliquando fidèles diu exercet afflictionibus, nec stet
tim optato adest auxilio. 25
9. Homines pii in optimis etiam propositis varia solent ha-
bere impedimenta. 27
10. Fideles tandem ad cœlestem portum pervenient. 29
11. Fideles non unam sed multas experiuntur calamitates. 31
12. Fideles Pastores proximos suos de periculis admonent. 33
13. Ministri verbi Dei sæpius in vanum laborant. 36
14. Occasio quoties se offert comoda, arripienda est. 38
15. Homines irregeniti malunt plures licet malos, quam
bonos pauciores sequi. 40
16. Homo

INDEX DOCTRINARUM.

- | | |
|--|---------|
| 26. Homo Christianus debet habere certum scopum suarum actionum. | 41 |
| 17. Quanquam hominibus carnalibus ab initio feliciter succedit, tamen exitus eorum infelix esse solet. | 42 |
| 18. Inconstans est felicitas eorum, qui voluntatem Dei non sequuntur. | 46 |
| 19. Nulla calamitas sola. | 48 |
| 20. Deus minima quoq ₃ re hominem compescere potest. | 50 |
| 21. Media licita si haberi possunt, etiam in maximis periculis adhibenda sunt. | 52 |
| 22. Aliquando homo necesse habet iis rebus obedire, quibus imperare debuit. | 55 |
| 23. Nonnunquam accidit, ut illi qui propter Deum nihil pati volunt, tandem omnia perdant. | 57 |
| 24. Qui gravia committunt peccata, graviter etiam puniuntur. | 58 |
| 25. Solet nonnunquam Deus pii gravissimas immittere afflictiones. | 60 |
| 26. In omnibus calamitatibus privatis & publicis querendus est Deus per jejunium. | 63 |
| 27. Fidelis Pastoris officium est, proximos suos vitiorum arguere. | 65 |
| 28. Pii homines etiam in maximis periculis fortes sunt. | 66 |
| 29. Tanta est Dei sapientia, ut sciat etiam ibi consulere, ubi nullum valere videtur consilium. | 69 |
| 30. Opportune solet Deus suis liberis subvenire. | 71 |
| 31. Angeli boni sunt ministri fidelium. | 72 |
| 32. Deus propter unum pium multis impiis parcit. | 74 |
| 33. Pii sua bona communicant cum proximiis. | 76 |
| 34. Fides soli verbo Dei credit. | 76 |
| | 35. Deo |

I N D E X

35. Dei voluntas semper impletur. 93
36. Quum Deus vult aliquem miraculosè conservare, facit id modo insueto. 81
37. Ea est Dei bonitas ut homines prius de pœnis imminentibus præmoneat. 83
38. Deus aliquando promissa præstat per varias difficultates. 84
39. Multi homines nec Deo, nec ejus promissis credunt. 86
40. Homines irregeniti non libenter peccata sua confitentur. 89
41. Deus quoties fidelibus ingruunt pericula, præmonere eos solet. 91
42. Sæpe insigniores dotes inveniuntur in iis, de quibus non speramus. 93
43. Fideles nullis periculis nimium exterrentur. 96
44. Homo Christianus valetudinis sue causa debet uti cibo & potu. 98
45. Christiani non debent uti cibo ac potu sine benedictione. 101
46. Homines pii, non solum sibi, sed etiam aliis sunt utiles. 103
47. Perinde est Deo nostro; sive multos sive paucos servare. 104
48. Quædam res ex repletione pereunt. 106
49. Divitiæ sunt fluxæ & instabiles. 109
50. Homo nihil proficit absque divina benedictione. 112
51. Miser est eorum exitus, qui timore Dei carent. 115
52. Optimè cogitata quandoque pessimè cadunt. 116
53. Irregeniti beneficiorum acceptorum obliviscuntur. 119
54. Deus habet Ecclesiæ tutores, etiæ in medio hostiū. 121
55. Deus

D O C T R I N A R U M.

55. Deus & media & finem decernit. 123
 56. Deus est verax in promissis. 124
 57. Deus solet aliquando suos filios ducere, ut illi nesciant,
quo ducentur. 129
 58. Humanitas & aliæ virtutes ibi inveniuntur, ubi non
sperantur. 131
 59. Hospitalitas exercenda. 133
 60. In communibus periculis, communes debent esse labo-
res. 136
 61. Homines pii ex una calamitate incident in aliam. 138
 62. Homines carnales ex afflictionibus judicare solent. 140
 63. Pii semper sunt fortes. 143
 64. Irriti sunt conatus diaboli & hostium Ecclesiæ. 145
 65. Piorum afflictio lætum habet exitum. 148
 66. Omnes quidem homines, sed in primis divites debent
esse hospitales. 150
 67. In Ecclesia sunt etiam nonnulli homines clari & divi-
ties. 152
 68. Calamitatibus variis omnes homines sunt obnoxii. 154
 69. Christianorum officium est visitare ægros. 157
 70. Deus ibi augustas extrahit Ecclesias, ubi prius nulli erant
ejus cultores. 159
 71. Deus ad participationem gratiæ suæ quosvis admittit. 161
 72. Probi homines non tantum ei beneficium reddunt, à
quo illud acceperunt, sed propter eum aliis benefa-
ciunt etiam. 162
 73. Auditorum erga Pastores suos officia. 165
 74. Fideles, alios etiam ad agnitionem Dei veritatis addu-
cere student. 167
 75. Fideles non polluuntur impiorum superstitionibus. 170
 76. Om.

I N D E X.

76. *Omnium rerum mundanarum magna est inconstans
tia.* 171
77. *Tanta est Dei bonitas, ut saepe nobis benedicat non spe-
rantibus.* 173
78. *Deus difficultas etiam citò potest perficere.* 177
79. *Homines probi ultro occasiones captant alii benefac-
tiendi.* 180
80. *Fideles desiderant semper secum esse.* 181
81. *Deus suos cultores etiam hic aliquando honorat.* 183
82. *Auditores non debent pudere Pastores suos in persequen-
tione.* 185
83. *In rebus prosperris Dei meminisse debemus.* 186
84. *Fortissimi etiam Christi athletæ opus habent consola-
tione.* 188
85. *Deus hostium animos erga pios inclinat.* 190
86. *Fidi Pastores promovent salutem suorum proximorū.* 192
87. *In Ecclesiis Christianorū debent esse alii alii priores.* 195
88. *Vera charitas diligit etiam hostes suos.* 196
89. *Pii innocentes patiuntur.* 197
90. *Idea boni iudicis.* 200
91. *Licitum est Christianis defendere se coram Politico Ma-
gistratu.* 204
92. *Injuriæ privatae patienter sunt ferendæ.* 206
93. *Christi causa pati, res est gloria.* 209
94. *Piorum conditio: ut licet sciantur esse innocentes, nem-
tamen eorum curam agit.* 212
95. *Qui verbum Dei amant, non temnunt illud.* 215
96. *Vera Ecclesia multos habet hostes.* 217
97. *Actus sacri non debent certo loco alligari.* 220
98. *Veri Pastores non tantum vera docent, sed etiam erro-
res.*

DOCTRINARUM.

res refutant.	224
99. In Ecclesia solum verbum Dei prædicari debet.	225
100. Verbum Dei nunquam ab omnibus recipitur.	228
101. Verbum Dei nunquam etiam frustra prædicatur.	229
102. Prudens Pastor primò docet, deinde arguit.	232
103. Spiritus S. est Deus.	234
104. Hostes Ecclesiæ etiam convicti repugnant.	236
105. Quod homines pereant, causa non est in Deo.	238
106. Grave est peccatum contemptus verbi Dei.	239
107. Deus prius quam punit, præmonet.	241
108. Deus ab ingratis tollit verbum suum.	243
109. Irregeniti non libenter audiunt peccata sua reprehendit.	245
110. Verbum Dei semper habet duplices auditores, bonos & malos.	247
111. Pii loco pessimorum hominum habentur.	249
112. Ministri Ecclesiæ ea debent concionari, quæ sunt de Christo.	251
113. Pastores audacter debent loqui.	253
114. Cursum Euangelii nemo impedire potest.	255

